



SIGILLVM · VNIVERSITATIS · CALIFORNIENSIS
FIAT LVX
MDCCCLXVIII
EX LIBRIS

STUDIA CRITICA

IN

MEDICEOS TACITI CODICES.

DISSERTATIO INAUGURALIS,

QUAM

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI
MARBURGENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA

HONORES

RITE CAPESSENDOS

OFFERT

CAROLUS HERÆUS
CASSELLANUS.



MARBURGI CATTORUM.

MDCCCXLVI.

Duo illa nos maxime movent, similitudo et exemplum.

Cicero.

IN TYPOGRAPHEO DŒLLII & SCHÆFFERII CASSELLANORUM.

CAROLO FRIDERICO HERMANNO

D.

DISCIPULI PIETAS.

Quum Te V. C. semper summa observatione et veneratione coluerim, tum in hoc opusculo, quod illustri Tuo nomini inscriptum manu tenes, elaborando Tua auctoritas et Tuum exemplum animo meo obversata sunt. Te quippe ducem secutus, qui ante hos quattuor annos, quum de scholiis Persianis primum disputabas, in artis criticae difficultatem, quae in variis codicum lectionibus existimandis et diiudicandis cernatur, ea, qua soles, diligentia et subtilitate inquisiveris, opinionem praeiudicatam, quae de coniecturali arte vulgo fertur, hac commentatione, quantum in me situm est, labefactare atque imminuere institui: quamquam me non fugit opinionem semel conceptam, quo magis vetustate et consuetudine, quam ratione et doctrina nitatur, eo aegrius deponi. „Coniecturarum ars autem, larga olim in Graecis Latinisque literis laudis atque certaminum materies, nunc fatali quadam temeritatis fama atque animi in frivolos lusus propensi apud plerosque premitur." Quae verba ut verissime dicta sunt a Seyffertio in Praefatione Emendationum Tacitearum, ita equidem infamatam utilissimae artis fidem semper tuli aegerrime, quippe quum, si vel liberiore coniecturarum usu olim abstinuissent viri docti, vix unam aut alteram paginam antiquarum literarum studiosi nunc perlegeremus molestissimis corruptelis illacessiti. Tristissimae autem suspicionis, in quam critica coniecturalis cecidit, causam in eo positam esse putaverim, quod, postquam studium antiquarum literarum eo fastigii profectum fuit, ut de usu loquendi et elegantia sermonis certius iudicari posset, effrenata quaedam cupido verba scriptorum vulgo tradita examinandi atque emendandi adeo grassari coepit, ut quemadmodum antea vitiis, ita tunc remediis laboraretur. Quae licentia critica quum Richardi Bentleii potissimum, viri cetera egregii, exemplo atque auctoritate nisa temporis decursu ita aucta esset, ut fieri soleret, ut ex decem emendationibus, quas corrupte-

larum aucupes proponebant, vix una alterave praecipuam probabilitatis commendationem praeferret, id quod Tu in Vindiciis latinitatis epistolarum Ciceronianarum et Brutinarum de Marklandi ingenio nuper iudicasti: tantum movebatur viris doctis coniecturarum taedium ac fastidium, ut contrarium animos editorum incederet studium, vulgatam cum omni squalore scripturam qualicunque ratione tuendi atque conservandi. At — ut Ciceronis utar verbis — aegri quia non omnes convalescunt, non idcirco nulla medicina est. Immo res poscit, ut, quum ea, quae per tristissimorum temporum ruinam et stupidissimorum hominum manus corrupta fuerunt, in pristinam formam eamque genuinam redigenda sint, divinatione carere utique non possimus, nisi forte sordibus rudium saeculorum gaudemus. Quare vereor, ne isti critici, quippe sacris membranis addicti, eo ipso studio, quod summae fidei laude dignum ducunt, non dicam parum fructus ad rem criticam afferant, sed ipsam fidem veritatemque e medio tollant. Egregie enim Schubartius V. D. in censura Dindorfianae editionis Pausaniae diurnis literariis Jenensibus inserta nuperrime iudicavit, sententiarum condicioni, orationis integritati, sermonis elegantiae non minus membranarum et vulgatae lectionis admiratores sectatoresque arcessita verborum interpretatione vim adhibere, quam emendatores audaciore coniecturarum usu. Quae quum ita sint, quamvis studia felicissimorum emendatorum coniecturarum famam laudemque tantopere attritam novissimo tempore paulatim refovere videantur, quam maximam operam iis, qui coniecturalem artem exercent, in eo collocandam censeo, ut non modo suspicionem avertant atque effugiant, quasi per extentum funem eant, sed naturam et divinationem ad artem et ad praecepta revocent, quo certiorem viam et rationem monstrantes praeiudicatam istam opinionem, quam plerique de critica coniecturali habent, in approbationem atque assensum vertant. Jam vero ea lex imprimis sanciatur necesse est, ut

ex diligentissima observatione potissimorum vitiorum, in quae librarii optimi cuiusque codicis, quem spreta inani vulgatae auctoritate toti recensioni pro fundamento subiici consentaneum est, delabi soliti sint, iis lectionibus, quae aut sententiae et rationi, aut sermonis legibus, consuetudini et elegantiae repugnent, remedium petatur. Quodsi ita ad naturalem ingenii dexteritatem ratio quaedam conformatioque doctrinae accesserit, criticos, qui coniecturalem artem factitent, tutissimum, in quo nitantur, fundamentum inventuros esse augurari atque affirmare ausim. Quod quo prosperius cedat, variae lectiones, quin etiam nugae et umbrae verborum accuratissima collatione ex optimo quoque codice enotatae sint necesse est, quoniam, quo quis melius corruptelas cognoverit, eo feliciore eventu coniecturalem artem exercebit. Igitur ut illam sententiam, quam diu in sinu fovi, quamque praeter gravissimam Tuam comprobationem, qua quantum animum meum erexeris et fiduciam auxeris, dicere vix possum, Doederlini, Kritzii, Seyffertii exemplo confirmari postmodo laetus vidi, accuratius exsequerer ac documentis probarem, Tacitum potissimum ideo elegi, quia ipsa illa observatio in hunc praecipue cadere videbatur, quippe quum non solum optimi Medicei codices, qui ductus literarum vetusti archetypi fidelissime retinuerint, casu secundo nobis servati sint, sed etiam collatione eorum a viris doctis identidem repetita discrepantiam scripturae satis compertam habeamus. Qua in re si qua operis particula modum, quem instituti mei ratio postulet, excessisse Tibi videtur, moneo reputes, non tam in usum capitalium virorum, qui quidem lectionum et emendationum condiciones et rationes, etiamsi taceam, facile perspiciant, me fusius et prolixius disputasse, quam ut vulgus philologorum in arte critica parum exercitatum subtili sensuum explicatione, gravissimorum argumentorum pondere, luculentissimorum exemplorum copia, quamvis invitos ac reluctantes, in meam traducam sententiam.

Quantum hac opera mea ad rationem et doctrinam

rei criticae profecerim, Tuo permitto iudicio, utque primo studiorum meorum specimini pro insigni Tua humanitate iudex adsis benevolus oro rogoque. Si vero in variis vitiorum generibus distinguendis et recensendis passim a vero aberrasse Tibi videar, ab ista reprehensione non ea, qua solent, defensione me tuter, iuventutem alacritate ingenii facilius in errorem impelli: sed reputes, quaeso, Ciceronis dictum, nihil esse simul et inventum et perfectum, sed parva novarum rerum principia suis demum progressionibus usa augeri. Ceterum edidi, quae potui, non ut volui, sed ut me operis modus et chartae angustiae coëgerunt. Genera enim vitiorum, quae in Mediceis codicibus reperiuntur, reliqua habeo decem, quae in altera commentationis parte propediem edenda tractem recenseamque. Subinde etiam factum esse profiteor, ut unam eandemque lectionem ad diversa corruptelarum genera referrem, quoniam natura rei fert, ut nonnunquam ambiguum fuerit, quod potissimum vitium librarii admiserint. Denique ne quis in interpretando sensu vocabuli *archetypum*, quo saepe in hac commentatione usus sum, errorem committat, id quod facile potest fieri, memoro archetypum a me dictum esse non vetustissimum quoddam exemplar ipsius Taciti aetate scriptum, sed id apographum, ex quo rursus codices adhuc servati communem traxerint originem.

Haec habui, quae praefarer. Jam nihil restat, nisi ut Tibi V. C. pro singulari, qua consiliis et studiorum subsidiis me adiuvisti, liberalitate atque benignitate maximas agam gratias. Vale et, si bene de Tacito merui, perge studiis meis favere.

Dabam Cassellis Nonis Sept. a. MDCCCXLVI.

De indole et auctoritate familiarum codicum Tacitinorum.

Si quis varias lectiones codicum Mstorum et editionum veterum, quibus Cornelii Taciti Historiarum et posteriores Annalium libri, in quantum fato visum est, posteritati servati sunt, aliqua saltem diligentia et incorrupto judicio contulerit, facile sibi persuadebit, J. Fr. Gronovium in Observ. l. IV. p. 80, Ernestium in Praef. ed. Bekk. p. XXI., Waltherum in Praef. p. XXI., inde quod omnes libri et scripti et editi tum multis locis eundem in modum depravati aut mutilati sunt, tum eadem paginarum transpositione hisce tribus locis H. III, 5; ibid. c. 65; IV, 46. foedati sunt, recte collegisse, cuncta quae extant Taciti exemplaria ex uno eodemque fonte fluxisse, ita ut omnes varietates lectionum, quas e libris notatas habemus, proprie sint varietates unius exemplaris, non plurium, quae ex ipso Taciti archetypo ducta fuerint. In eo tamen Walther errare mihi videtur, quod in Praef. p. XXII. satis verisimile esse putat, codicem Mediceum ceterorum quasi parentem fuisse. Cautius quidem Ernestius in Praef. ed. Bekk. p. XVI.: *E Mediceo codice omnia alia scripta Taciti exemplaria fluxisse, ut Jac. Gronovius videtur credidisse, non audeam pro certo affirmare.* Quem doctum virum sibi non constare temere jecit Oberlinus in Praef. ed. suae p. XXII. haec annotans: *ex uno isto et primitus corrupto (scil. Mediceo) codices omnes esse propagatos, de quo hic dubitat, ipse inferius validis argumentis ad-*

struit. At si ea, quae Ernestius in Praef. ed. Bekk. p. XXI. scripsit accuratius legis et examinas, antiquiorem nostris codicem eumque deperditum ab eo denotari facile intelligis. Waltherianae autem sententiae, praeter quam quod Mediceus codex, quamvis non ita multis locis, solus tam corruptam lectionem exhibet, ut vix credideris, ceteros librarios genuinam atque indubiam scripturam uno consensu ex tanta textus ruina conjectura restaurare potuisse, etiam id obstat, quod duas lacunas ab H. I, 69. usque ad c. 75. et ab H. I, 86. usque ad II, 2. patentes solus habet. Recte vero Walther monuit, ne sententia de communi librorum fonte ita acciperetur, quasi singuli quique codices ex ipso illo archetypo descripti essent, idemque codicum Mstorum condicionem et indolem bene perspexisse atque aperuisse mihi videtur, dum in Praef. l. l. libros et scriptos et editos in duas potissimum familias segregandos censet. Ad alteram a Walthero Romanam appellatam codd. Msti Medic. Reg. Farnes. [1] Vaticc. 1863. 1864. Corbin. Agr. Vindob. [2] edit. Spir. referenda esse videntur; alterius, quam Walther Genuensem vocat familiam, codices hi sunt: Vatt. 1958. 2965. Harl. Bodl. Jes. Guelf. et is liber Mstus, e quo edd. Puteolani typis expressae sunt. Codex Budensis inter utriusque familiae scripturas ita medius vacillat, ut ex utraque conflatus esse videatur.

---

1) Ms. Farnes. eundem esse librum atque Vatic. 1864., Oberlinus in Praef. p. XII. et Walther ad A. XII, 5. s. vv. *deductae .... filiae* et ad. A. XIII, 5. extr. verbis Broterii parum intellectis temere jactaverunt. Namque Broterius nihil nisi haec dixit: *Ms. Vatic. haud absimilem esse codici, quem Lipsius Farnesianum appellat quemque contulit Jac. Corbinelli, saepe sum expertus.* Et teste ipso Broterio dialogus de Oratoribus, quem multis locis Lipsius e Ms. Farnes. emendavit, in Ms. Vatic. non legitur. Nec minus errasse videntur Niebuhrius, Imm. Bekker, Eckstinius (Vol. IV. ed. Walth. Praef. p. VII.), qui Ms. Farnes. Lipsii cum Neapolitano nuper reperto confuderunt. Cf. ea, quae accurate et subtiliter contra hos disseruit v. cl. Dronkius in Zimmermanni Diariis Antiq. litt. a. 1835. no. 67. p. 541. sq.

2) Cod. Vindob. idem est, quem Lipsius Mstum Sambuci vocat quemque Vindobonae strictim se vidisse ad H. II, 23. et 27. affirmat. Cf. Wissowae Lectt. Tac. Spec. tert. p. 5. vel Eckstinii Praef. ad. ed. Walth. Vol. IV. p. XI.

Reliqui libri Msti parum noti et hic illic tantum a viris doctis inspecti sunt, ut neutri familiae eos adscribere audeam. Et Mediceus quidem ex ipso illo archetypo, unde omnes libri Msti originem duxerunt, descriptus esse videtur. E ceteris familiae Romanae codicibus Farnes. Reg. Vat. 1863. Vindob. Corb. Agr. et ed. Spir. ob arctam cognationem rursus ex uno eodemque archetypi illius apographo nunc quidem deperdito fluxisse puto, cujus rei clarissimum indicium praeter notabilem et mirum eorum consensum in plerisque locis conspicuum etiam in eo deprehendes, quod Mss. Vat. 1863. Vindob. Reg. ed. Spir. et, uti videtur, Mss. Corb. Agr.que H. V, 23. in verba *magnitudine potiorem* desinunt. Item parens familiae Genuensis ex archetypo descriptus temporis injuria periit. Sed haec hactenus. Jam vero de indole, fide, auctoritate codicum Mstorum nobis est disputandum. Hodie quidem constat inter viros doctos codici Mediceo longe maximam fidem atque auctoritatem tribuendam esse, ut toti recensioni quasi pro fundamento subjiciatur, quippe qui reliquos omnes codices ita fere superet, ut Vossianus R. Martialis, Ravennas et Venetus Aristophanis, Urbinas Isocratis reliquos libros. Quamquam enim Graevius in ep. ad Heinsium T. IV. coll. B. p. 498. recte iudicavit exemplar, unde ille codex fluxerit, mendosum et a semidocto fuisse interpolatum, tamen altius rem conjectanti tum fides ac religio, quibus ea ipsa archetypi menda, corruptelae, interpolationes a librario Msti Medicei repetita et servata sunt, tum cautio moderatioque et ipsa sinisteritas, quibus verba dubia et obscura mutata et vitia correcta sunt, augent ultro Medicei auctoritatem. Facilius enim vitia ab imperitis sinistre correcta intelliguntur, quam si qua emendatio specie aptitudinis et subtilitatis nobis imponit. Omnino utriusque familiae ratio in reddendis archetypi verbis est diversa. Hic rei cardo, hoc totius operis critici fundamentum. Erat iam pridem textus Taciti in vetustissimo archetypo casu, negligentia, festinatione, inscitia barbari, ut videtur, librarii corruptus et, ut equidem conjicio, parum clare, nitide, distincte scriptus. Jam librarii, quum verba corrupta et depravata aut investigatu difficilia esse intellexissent, munere suo alii alio modo perfuncti sunt. Et Medicei quidem codicis librarius tum vetusti libri errores, quin et monstra verborum summa cum fide propagavit, tum ejus vestigia fideliter secutus

lenissimae tantum mutationis licentiam sibi sumsit, ut verbis saltem latinarum vocum sonum et formam redderet. Nam quae v. cl. Schneidewinus in Prolegg. ed. Martialis pag. LXXXV. de praestantissimo poetae codice Thuaneo scribit, eadem plerumque fere ita in Mediceum Taciti cadere frequenti variae lectionis usu expertus sum, ut ejus indolem et condicionem nullis certioribus signis describi putem, quam si viri doctissimi verba afferam: *Stupidissimus librarius, qui vix verba singula intellexisse videatur; tam turpiter vel in apertissimis titubat. Sed idem hanc barbariem compensat summa religione vel dicam superstitione, qua vetusti exemplaris ductus imitatus est.... In nominibus propriis saepe risum movet; nec in elementaribus non vacillat. Denique saepissime ille non verba scribit, sed imagines quasdam et umbras verborum. Vel sic codex est unus omnium emendatissimus, si summam spectes, cujus vel errores pluris sunt quam reliquorum munditiae aestimandae. Infinitis locis unus solus veri sponsor est, a reliquorum bonorum partibus ubique stat, saepe ad verum manu ducit, rarissime, si aperta vitia exceperis, deteriora offert ceteris codicibus* [3]).

Reliquorum familiae Romanae codicum librarii minus rudes,

3) Ceterum etsi a novorum codicum Mstorum collatione vix multum salutis Tacito expectaveris, Medicei tamen nova collatio eaque accuratior prioribus instituatur, cuperes optaresque, siquidem discrepantiam collationum a Victorio, Pichena, Jac. Gronovio, Furia factarum, quae non ita paucis locis investiganti occurrit, simul ea consideras, quae Bandinus in Catalogo Codd. Lat. Bibl. Med. Laurent. Tom. II. p. 834. extr. et p. 835. extr. de Msti Medicei facie refert. Is enim haec scribit: *Adsunt in margine summaria rerum et annotationes nonnullae diversa manu, sed valde antiqua,* dein addit, multis in locis codicem evanidum esse, ubi posterior quidem, sed vetusta manus deleta verba in spatiis interlinearibus rescripserit. Et hac quidem de re gravissima VV. DD., qui Mstum inspexerunt, nihil certi narraverunt, quod sane dolendum. Hodie quidem parum compertum habemus, quae priori vetustiorique manu scripta, quaeque altera demum codici Mediceo illata sint. Sed mitto communem hanc labem omnium fere codicum collationum et editionum criticarum. Satis habui hoc vitium nova collatione tollendum denotasse non sine aliqua spe salutis, quae inde textui summi rerum Romanarum auctoris proventura sit.

paulo liberiore ratione usi, ex archetypi verbis corruptis qualemcunque sensum quamvis praepostere elicere satis habuerunt ideoque ad fidem Medicei proxime accedunt. Temerario autem studio et effrenata emendandi libidine ad corrigenda vitia acti atque ingenio suo ac doctrinae nimis indulgentes librarii familiae Genuensis in verba Taciti plerumque ea licentia grassati sunt, ut, si hi codices soli fato nobis concessi essent, nusquam fere, quid in archetypo ipso, nedum quid in integro ac genuino Taciti textu extiterit, conjectura assequi possemus. Etsi igitur hi rarissime veram loci naturam aperuerunt ac pristinam et genuinam scripturam restituerunt, tamen est concedendum Medicei librarium sermonis ac sententiae ignarum socordia, oscitantia, festinatione interdum errores calami ultro intulisse, quos reliqui quidem sensibus intenti pro peritia sua sermonis latini prudenter vitarint.

Quae quum ita sint, Ernestius in Praef. ed. Bekk. p. XXI. recte judicavit, omnibus codicibus comparandis nihil aliud effici posse, quam ut, quid in uno illo apographo, unde ii venerint, fuerit, inveniamus. Sic prima facies vitio redit, cujus memoria plerumque codicis Medicei beneficio nobis servata est. Tum demum fieri potest, ut examinatis et perpensis archetypi erroribus ac mendis pristinam et integram Taciti orationem feliciter ex tanta textus ruina restituas. Simul inde colligas, id quod inter recentiores editores constitit, fundamenta recensionis, quando ars critica codd. Mstis familiae quae dicitur Genuensis et editionibus Puteolani nitatur, in arena esse posita, atque libros Reg. Farnes. Vatt. 1863. 1864. Corb. Agr. Vind. Spir. hactenus tantum alicujus pretii esse, quod fidem Medicei consensu augeant, vel quod interpolationibus familiae Genuensis in vulgata adhuc nimis anxie servatis excutiendis ibi inserviant, ubi Mediceus lacunis foedatus est aut aperte peccat titubatque. Denique patet, quo diligentius et religiosius libri Medicei et, quoad licet, ceterorum familiae Romanae codicum vestigiis instemus, eo certiorem emendandi et vera conjiciendi viam ac rationem nos ingressuros esse, atque Medicei lectionem ubique recensioni pro fundamento subjiciendam esse, ita ut tum demum ab ea recedamus, quum aut certissimis artis grammaticae legibus aut Taciti generi scribendi et usui aut indubio ac necessario orationis sensui adversatur.

De probabilitate et diplomatica ratione emendationum Tacitinarum.

Quamvis summam salutis in eo ponendam censeam, ut codex Mstus Mediceus recensioni pro fundamento subjiciatur, tamen tantum abest, ut velut oraculum veneratus receptis Medicei lectionibus et quoquomodo explicatis rem expeditam et tanquam transactam opiner, ut etiam tum ad pristinam Tacitini textus formam repraesentandam magnum opus et arduum superesse putem. In Medicei auctoritate non est acquiescendum, quasi in portum et perfugium pervectus esses, id quod Walthero ejusque pedisequo Bachio saepius accidit, utpote praesumta nimia bonitatis opinione ductis. Saepe enim e verbis tum rationi, usui, sermoni repugnantibus, tum sensu carentibus aut ne latinis quidem reliquiae et vestigia obliterati archetypi textus eruenda sunt, ut id teneamus, unde omnis veri inquisitio atque investigatio proficisci debeat. Tum demum certam spem habere nobis licet, fore ut inde antiquam ipsius Taciti orationem conjectura eliciamus et tanquam in integrum restituamus. Simul ex iis, quae modo exposui, apparet ipsas conjecturas, quas velut nutibus Medicei obtemperans feceris, multo majorem fidem habere, quam lectiones codd. Mstorum classis Genuensis interpolatae, qua de re Bachium in Jahni Nov. Annall. Philol. Vol XI. p. 34. extr. mecum consentire laetus vidi. Addas omnino conjecturis in textu Tacitino recensendo, ut alia taceam, ideo quoque multum esse tribuendum, quoniam, — verba cl. Ernestii ex Praef. ed. Bekk. p. XXII. referam — si centum codices eiusdem libri habeamus, eos autem constet ex uno apographo ductos esse, unius tantum libri ius et vim obtineant universi. Neque audiendus est, si forte quis contra nos disseruerit, quam maxime caute moderateque criticos Tacitinorum librorum oportere conjecturis uti, siquidem codex Mstus Mediceus, qui Annalium posteriores atque Historiarum libros continet, emendatoris subscriptionem offerat. Sane me non fugit ab Ernestio in Praef. p. XVI. Ryckium laudari, quippe qui ad H. I. init. bene monuerit, subscriptionem Sallustii cujusdam, vetustum aliquem codicem emendasse professi, ab imperito librario temere ex eo codice repetitam esse, unde is Taciti libros descripsisset. Neque

eorum nescius sum, quae v. cl. Schneidewinus, quem magistrum meum ea, qua par est, pietate atque observantia veneror, in Prolegg. ad editionem Martialis p. CIX. sqq. docte ac subtiliter de ratione disputavit, qua illi emendatores ultimis imperii Romani temporibus ad codicum Mstorum menda et corruptelas corrigenda usi sint. Sane ego concedam viro doctissimo, sicut veteres Graeci et Latini summum in eo posuissent studium, ut codices vetustissimos et fide dignissimos contraherent, quo certius de scriptura ipsorum auctorum constaret, — id quod Lehrsius de Aristarchi Stud. Hom. p. 366. sqq. probavit — ita illos emendatores quoque emendatiorum exemplarium scripturae adeo addictos fuisse, ut fide vetustorum librorum integra servata tantum errores librariorum expulissent vixque locum suae ipsorum audaciae concessissent: quamquam ipse Schneidewinus non negat, fieri aliquando potuisse, ut singuli in singulis scriptoribus plus sibi juris arrogarent. Neque adversarer egregio critico haec addenti: *Tantum igitur abest, ut libri ἀδιόρθωτοι digni sint majore fide, ut qui subscriptione emendationem contestantur, longe praestare videantur;* quamquam tibi est cavendum, ne omnes libros Mstos, quorum librarii subscriptionem emendatoris utpote ab ipsius scriptoris oratione alienam, ex archetypo non descripserunt, ob id ipsum statim inter ἀδιορθώτους codices referas. Hic Rhodus, hic salta. Sed hoc mitto. Nonne igitur apparet, inquies, iis codicibus, quos posterioris temporis librarii ex illis ipsis exemplaribus a calami erroribus purgatis tanta fide descripserunt, quanta in codice Mediceo Taciti factum est, verba scriptoris satis emendata et genuina servata esse? Ita est, si quando talis recognitio subscriptione in libris Mstis, quos fortuna superesse voluit, reperta probatur. At ego is sum, qui negem pernegemque, a Sallustio illo vetustum Taciti exemplar, unde codex Mstus Mediceus et reliqui originem duxerunt, emendatum fuisse. Quae ne temere vel insolentius jacta esse videantur, utque falsae opinioni tam diu propagatae occurram, ne tanta doctissimorum virorum auctoritate veritas in posterum obumbretur, haud alienum ab re videtur, paulo accuratius atque uberius in istam Sallustii subscriptionem inquirere, quam viris doctis hucusque placuit. Et Ernestius quidem ac Ryckius, quibus Walther (Praef. p. XVI.) et Rupertius (Praef. p. XCVIII.) annumerandi sunt, ea, quae Pichena in Praef. editionis de codice Msto

Mediceo protulit, parum consideraruut, ita ut specie quadam decepti veram ejus sententiam non assecuti sint. Pichena enim eo consilio, ut codicem Mediceum temporibus Theodosii Imperatoris scriptum esse probaret, haec verba pro argumento addidit: *Adnexa enim sunt* *Apuleji nonnulla iisdem characteribus (scil. Langobardicis) et eadem, ut videtur, manu, ac frequens in libellorum fine subscriptio Crispi cujusdam Sallustii, qui etiam alicubi ait: Ego Sallustius legi et emendavi Romae felix Olibrio et Probino Conss. in foro Martis controversias declamans oratori Endelechio. Rursus Constantinopoli recognovi Caesario et Attico Coss.* Fuerunt autem illi Consules a. 395, p. Chr. n., hi a. 397. p. Chr. n. Haec Pichenae verba a doctis viris ita accipiebantur, quasi Taciti librorum in fine illae subscriptiones legerentur. At Pichena pro argumento opinionis suae de mira codicis Medicei vetustate certo hoc non attulisset, quod in eodem codice opera Apuleji iisdem characteribus et eadem manu scripta legerentur, si illa verba ita accipi voluisset, quasi Taciti libellorum in fine Crispi Sallustii subscriptio frequens esset. Nam satis habuisset dicere exemplar Mediceum aetate Theodosiana scriptum fuisse, quia in fine singulorum librorum istius Sallustii subscriptio extaret. Ceterum non est quod moneam, totam hanc Pichenae conclusionem, qua ex subscriptionis verbis hanc ipsam colligit aetate Theodosiana codici Msto Mediceo insertam esse, jacere. Constat enim hodie librarios ejusmodi subscripta sententia parum intellecta in sua exemplaria non ita raro transtulisse. Cf. exempla a Fabricio in Bibl. Lat. I. s. v. Terentius, a Jahnio in Prolegg. editionis Persianae p. CLXXIV. usque ad p. CLXXXI., a Schneidewino in Prolegg. edit. Martial. p. CVIII. sqq. collata. Id Pichenam fugit, dum putat codicem Mediceum ejusdem esse antiquitatis, quam praefert subscriptio Sallustii et tempus Consulum [4]. Pichenam igitur verbis accurate examinatis

4) Ceterum codicem Mediceum aut sec. XI. scriptum esse credas, id quod Bandinus l. l. p. 835 statuit, aut sec. X., si doctos Benedictinos, auctores operis diplomatici, quod inscribitur Nouveau traité de Diplomatique par deux réligieux etc., (v. Vol. III. p. 279) et Botarium virum doctum (v. ibid. p. 280 extr.) duces sequi mavis, quamquam et Bandinus et Botarius confessi sunt, inter libros Secc. IX. X. XI., nisi annotatione librarii tempus constaret, nihil

id tantum dixisse facile intelliges, Appuleji libros subscriptionem Sallustii emendatoris in cod. Mato Mediceo exhibere. Quod tectis et obscuris verbis significavit Picbena, idem apertis disertisque affirmat Bandinus in Catalogo Codd. Lat. Bibl. Med. Laur. Tom. II. p. 834. sqq., quo quidem libro Ryckius aut Ernestius nondum uti potuerant, quoniam anno MDCCLXXV. demum in lucem prodiit. Is accuratam Medicei codicis Taciti et Appuleji langobardicis literis exarati descriptionem dedit, et de ea quidem parte, quae paginis CIV. prioribus Taciti libros continet, haec disseruit: *Codex est anepigraphus et continet primo Cornelii Taciti ab excessu Divi Augusti libros XI, ab undecimo nimirum usque ad vigesimum primum inclusive, quorum singulorum initium et finis concordat cum editione Romana, quam exhibet Codex III. sequens, praeter finem libri XX, qui ita desinit in Codice: contra interpretabantur neque vos impunitos patiantur. Adsunt in margine summaria rerum et annotationes nonnullae diversa manu, sed valde antiqua.* Nihil de subscriptione aliqua in fine librorum Taciti profert, neque Jac. Gronovius aut Victorius aut Furia ullam ejus rei mentionem faciunt. Sed de operibus Appuleji in eodem illo Mediceo exemplari scriptis deinceps disserens haec dicit: *in calce libri primi de Magia characteribus quadratis Romanis scriptum est: Ego G. Crispus Salustius emendavi Romae felix. Apulei Platonici Madaurensis prose apud Cl. Maximum Procos. de Magia lib. I. explicit. Incipit lib. II. Lege feliciter. Itemque in calce lib. II. legitur: Apulei Platonici Madaurensis prosae de Magia lib. II. explicit. Ego Salustius emendavi Romae felix.* Porro testatur in fine omnium librorum Metamorphoseon primo et ultimo exceptis ejusdem censoris subscriptionem legi *Ego Sallustius legi et emendavi Romae felix*, in calce vero libri IX. aliquanto longiorem ita

---

certi statui posse. Haec ideo annotavi, quia novissimi quoque editores leviter et strictim tantum de aetate codicis Medicei egerunt. Quin Oberlinus p. XI. Praefationis Ernestium aetatem codicis nimis depressisse opinatur; nihil enim obstare, quominus ad Sec. VII. vel VIII. referri queat. Sic Exterus quoque in Vol. I. ed Bipont. p. XXXIV. judicat. Credas utrumque deceptum esse falsa de breviore spatio temporis, quo scriptura langobardica apud Italos in usu fuerit, opinione praesumta,

exhiberi: *Ego Sallustius legi et emendavi Romae felix Olibio et Probino V. C. Cons. in foro Martis controversias declamans oratori Endelechio. Rursus Constantinopoli recognovi Caesario et Attico Conss.* En illa subscriptio, quam Pichena ex codice Mediceo attulit. Plane eandem subscriptionem in fine libri IX. Metamorphoseon Appuleji in cod. Msto Mediceo scriptarum legi contestantur auctores operis diplomatici supra collati, qui literas codicis ad scripturam apographi a Cardinali Passioneo transmissi quam accuratissime assimilandas et exprimendas curaverunt Tom. III. tab. 49. coll. p. 279. Eadem subscriptio calci libri IX. Metamorphoseon addita legitur et in codice Msto II^{ro} plutei XXIX^{mi} Bibl. Med. Laur. teste Bandino Tom. II. p. 4. et in codice Appuleji Vaticano teste Sirmondo ad Sidon. Epp. IV, 8. Tom. I. p. 940, quem idem Bandinus h. l. affert; unde colligas hos tres codices Mstos ex archetypo a Sallustio emendato una fluxisse. Jam vero super falsam istam de Sallustii emendatoris opera in Taciti libris collocata opinionem, quae inter doctissimos viros adhuc communis fiat, novo atque miro errore captus est v. cl. Schneidewinus, quippe qui in Prolegg. ed. Martial. p. CXI. dicat, quod codex Florentinus Taciti, qui Annalium libros sex priores solus habet, a vitiis gravioribus satis immunis sit, gratiam habendam esse Sallustio cuidam sqq. Tum ea refert, quae Pichena, Bandinus, auctores operis diplomatici supra collati in codice Mediceo langobardicis literis exarato, in quo praeter Apulejum etiam Annalium Taciti posteriores et Historiarum libri quinque insunt, fini libri IX. Metamorphoseon Appuleji adscripta esse testantur; ea igitur refert, quasi in altero codice Mediceo, olim Corbejensi, qui Annalium sex priores libros solos solus habet, legerentur, quamquam ipse eundem illum Bandinum testem et auctorem opinionis suae affert. Is vero in describendo codice Mediceo, qui sex priores Taciti libros habet, quique eodem in pluteo Bibliothecae Med. Laur., quo alter Mediceus Langobardicis literis scriptus servatur, omnino nihil de subscriptione aliqua narravit [5]). Itaque praeposteram eorum,

5) Cf. ejusdem Catalog. Codd. Lat. Bibl. Med. Laur. II Vol. p. 831 — 834. Codex est primus plutei LXVIII^{mi}.

qui praeter Appulejum etiam Tacitum a Sallustio emendatore recognitum putaverint, opinionem dissolvisse mihi videor. Simul inde discas vel in levissimis rebus criticis nunquam satis caute et circumspecte ab editoribus agi posse, eosque criticos, qui summae diligentiae laudem et affectarunt et merito adepti sunt, interdum pessime peccare [6]. Quae quum ita sint, non dubitandum est, quin ea auctoritas, quam codicibus Mstis a veteribus emendatoribus correctis Schneidewinus vindicare studuit, codicibus Taciti Mediceis deroganda sit. Conjecturali igitur arti id dandum est, ut certe in Tacito recensendo primas partes agat, quum praesertim nulla spes novi et gravis quidem critici subsidii facta sit, ex quo multum fructus scriptori proventurum esse jure expectaveris [7]. Ope

---

6) Hanc disquisitionem de Sallustii recognitione Taciti jam finieram, quum Lerschii commentationem de Romanorum auctorum libris διορθώτοις novissimo fasciculo Musei Societat. Praeceptt. Rhen. et Guestphal. insertam a C. Fr. Hermanno, quocum sententiam meam communicaveram, accepi. Vir doctissimus internis quidem argumentis parum verisimile esse probat, Taciti libros a Sallustio emendatos esse; neque vero originem falsae istius opinionis aperit, sed satis habet credere, casu aliquo subscriptionem Sallustii ex Appuleji codice Msto in Tacitinum quendam irrepsisse. Etenim ignorat, in nullo Taciti codice Sallustii subscriptionem revera legi, nedum in Mediceo langobardicis literis exarato. Errat et in eo, quod l. l. p. 36 extr. dicit, complures codices Mstos Taciti a Bandino l. l. p. 834 et 836 enumerari. In bibliotheca Mediceo-Laurentiana Taciti duos tantum codices Mstos extare refert Bandinus; utrumque in uno eodemque pluteo, LXVIII^mo scilicet, servatum describit p. 831 sqq. et p. 834 sqq. Hi sunt codices illi, de quibus supra rettuli: is vero Taciti codex, qui ejusdem plutei tertius a Bandino vocatur et p. 836 sq. describitur, non manu scriptus est, sed typis excusus; est enim editio Beroaldi.

7) Subjungi placet Seyfferti verba, quae felicissimam Tacitinae orationis imitationem produnt. Is enim in fasciculo primo Emendationum Tacitearum, quem C. Fr. Hermannus pro humanitate sua nuper transmisit, Praef. p. VI. haec dicit: *Abiit jam tempus, quo veras lectiones tanquam paratam praedam ex Codd. avehere licebat. . . . Quare conjecturae in Taciti scriptis non extremus, sed primarius locus, nec incertum jus aut precaria vita, sed regnum atque potentia. Superba autem atque libidini proxima regnornm ingenia. Quare leges ponendae, quibus coerceas.*

Mediceorum codicum sanandi sunt loci depravati conjecturis quidem, sed undique circumspectis et consideratis et quae certioribus artis legibus regantur, quam quibus obtemperarunt veteres grammatici et librarii artis criticae et fidei diplomaticae, utpote rerum ab illorum temporum ingenio alienarum, ignari. Ad normam et regulam aliquam — haud leve sane negotium — conjecturarum ars dirigenda est, ne Charybdim evitaturi in Scyllam incidamus, sed medium et rectum iter inter ineptam membranarum admirationem et Bentleianam audaciam teneamus. Et probabilia critica quidem universe expendenti tres esse condiciones videantur, ex quibus certae evidentiae laus conjecturis tribuenda sit, quamquam fieri potest, ut aliqua conjectura, quae una alterave harum condicionum careat, probabilis tamen sit. Constat fere inter hujus aevi criticos necesse esse, primum codicum Mstorum lectio sine sensus sermonisve damno ferri nequeat, deinde emendatio proposita sententiae et usui scriptoris plane conveniat, postremo legibus artis palaeographicae ita obtemperetur, ut conjectura optimorum codicum vestigiis ac similitudini ductuum literarum quam maxime accomodetur [8]). Igitur Tacitinum textum conjecturis emendanti ea lex constituenda est, ut, servato quantumcunque servare licet, lectionibus codicum Mediceorum, quamvis saepe perquam corruptis, emendationem accurate accomodet atque applicet, neve ulla vestigia archetypi, quae in ductibus literarum latent, negligat, quo ad genuinae scripturae reliquias in tantum accedat, quantum pro sollertia, acumine, subtilitate, sagacitate fieri potest. Attamen vereor, ut haec probabilitati criticae sufficiant: certe in Taciti recensione, quippe quae ex unius — ut videtur — archetypi fide constituenda sit, etiam tum alia condicio desideratur, quam si tribus illis, de quibus modo rettuli, cautionibus adjungas, emendationem ab omni parte tutam fore jure speraveris: quamquam universe critici hucusque animum parum ad id attendisse mihi videntur. Postquam enim in inscriptionibus legendis

---

8) Digna sunt lectu, quae in Zimmermanni Diariis antiq. litt. a. 1835 no. 58. p. 465. sq. summus criticus Fr. Jacobsius de hoc argumento disputavit. Insunt censurae Prolusionis, quam indici scholarum per primum semestre a. 1834 in Acad. Dorp. habendarum praemisit Car. Morgenstern.

atque emendandis ea ratio jam pridem invaluit, ut ex iis verbis, quibus sua forma et facies feliciter reddita est, genera vitiorum, ad quae quadratarii delabi soliti sint, colligantur, atque rationes orthographicae, palaeographicae, diplomaticae, quibus usi sint, observentur, quo facilius tectiora et graviora quoque menda et corruptelae tollantur et corrigantur: quis est, quin cernat, idem etiam in codices Mstos cadere? Unus [9]), quod sciam, Doederlinus hanc, ut mihi quidem videtur, certissimam emendandi rationem amplecti conatus est. Vir sagacissimus, qui post Waltherum et Bekkerum de Tacito optime meritus est, in Praef. editionis p. XIII. haec dicit: *In emendandis locis aperte corruptis, ut satis caute agerem, in naturam, ut ita dicam, codicum Florentinorum accuratius inquirere institui. ... Postquam operosa sane vitiorum examinatione et comparatione intellexi, quibus maxime vitiorum generibus contaminati essent codices isti, praemuniebam mihi viam ad certiorem emendandi rationem.* Sed in eo non satis caute et curiose egisse mihi videtur, quod inter locos pag. XIII. sqq. allatos ab exemplis, quae lectione diu vulgata et optimo cuique editori probata ut firmo fundamento nituntur, eas conjecturas non ubique secrevit, quas ipse demum proposuit ipsis illis vetustis emendationibus pro argumentis usus: id quod facile intellectu, si aliquanto accuratiorem comparationem instituis. Ita enim fit, ut, quum ea, quae exemplis probaturus est, et exempla ipsa promiscue afferat, omnia misceat turbetque [10]). Accedit quod

---

9) Postquam haec scripsi, video Seyffertum in Praef. Emend. Tacit. a. 1843 edit. p. VII. eandem viam ac rationem se ingressum esse hisce verbis profiteri: *Quum quaedam mendorum genera constantia quadam in Mstis recurrant, alia singulis codicibus quasi propria vindicanda sint, haud absurdum putavi aptis locis ex Mediceis plura exempla scripturae in similem modum turbatae in unum colligere, quo ipsa errorum multitudo errori fidem faciat, simulque tentatae correctioni robur paret. Nam fiduciae cumulus, si quae animo augurati sumus, etiam oculis cernere et quasi manibus deprehendere videmur.* Eandem rationem v. cl. Kritzium in Prolegg. ed. Velleianae p. LXXXVI. — CXV. iniisse, nunc demum comperi.

10) Seyffertus in Emendationibus Tacitt. supra laudatis in idem negligentiae vitium interdum delapsus est. Liber cetera egregius tam ob acumen, quod elegantissimae conjecturae produnt, quam ob

nonnulla tantum vitiorum genera collegit et sub eodem genere diversa atque aliena interdum recensuit; quod imprimis reprehendes in iis, quae de dittographia exposuit. Quae quum ita sint, spero fore, ut haud alienam a critica operam ea in re collocaverim, quod potissima vitiorum et corruptelarum genera, suo quodque loco, distincta recensere conatus sim, quo fundamento meae ipsius aliorumque emendationes fulciantur ac sustineantur. Quo munere ita fungendum curavi, ut codicem, unde exempla depromerem, in Annalium libris sex prioribus — id quod per se intelligitur — codicem unicum Mediceum, in Annalium ceteris et in Historiarum libris alterum Mediceum langobardicis literis exaratum deligerem, etiam si alii libri Msti aut ceteri omnes diversam lectionem offerebant. Ex iis enim, quae supra de fide, auctoritate et, ut sic dixerim, ingenio hujus codicis exposui, facile intelligitur, etiam hac in re me recte eum secutum esse ducem. Neque enim cerno, quo alio modo mendorum genera, quae in vetustissimo archetypo plerumque occurrisse videntur, investigare atque ad lucem proferre potuerim. Ceterum varias Codd. Mediceorum lectiones conjunxi et promiscue attuli, quippe qui librarios utriusque Msti in eadem fere vitia delapsos esse observaverim. Qua re etiam eo adducor, ut Doederlino p. XV. consentiens utrumque ex uno eodemque archetypo fluxisse arbitrer. Hoc omnes Annalium et Historiarum libros continuerat, sed casu iniquo aut barbara incuria, nescio quo tempore, scissum discerptumque esse videtur, ita ut singulae tantum partes temporis injuria dispersae postea demum in manus hominum non illiteratorum inciderint, quorum beneficio reliquiae Tacitini operis posteritati servatae sint. Comparavi autem Mediceorum codd. menda et corruptelas cum lectione aut omnium editorum recentiorum consensu vulgata aut certe optimo cuique critico probata ac recepta, ne somnia mihi fingendo genera vitiorum et exempla hodie collegisse videar,

---

ingeniosam argumentationem, qua eae defenduntur. Neque Kritzius in Prolegg. ed. Vell. eos scopulos praetervectus est, quamquam id vitium in Velleio certe ideo aliqua ex parte excusandum videtur, quod nulla editio tantam auctoritatem consecuta est, ut graviorem quandam vim habuerit ad certam scripturam vulgatam constituendam.

quae posteri diei fortuna disjiciantur ac displodantur. Quam maxima vero cautione in rebus novis utendum est, ne quis juvenis criticus — id quod totiens fieri solet — in justam reprehensionem sententiarum fictarum et commenticiarum incidat. Praeterea certis singulorum generum exemplis vulgata lectione firmatis potissimas virorum doctorum emendationes, quas quidem in textum vulgatum recipere editores nondum dignati sunt, subiunxi sperans, quae hodie exemplis tueamur, mox inter exempla fore. Neque tamen affirmare ausim omnes bonae notae conjecturas in unum quasi corpus a me redactas esse, sed ut quasque ad manum habui, suis locis inserui. Vix enim felicem probabilemque esse arbitror aliquam emendationem, quin ad hoc vel illud vitiorum genus referri possit. Denique moneo ad codices designandos me siglis Bekkerianis usum esse, ut quam plurimum spatii lucrer.

De generibus vitiorum Mediceorum codicum.

Ad primum vitiorum genus refero, quod saepe observavi, terminationem alicujus vocabuli sive sono sive litera socordibus et stupidis codd. Mediceorum librariis fraudi fuisse, ut ei vocabuli, quod proxime aut antecedit aut sequitur, exitum assimilarent [11]. En hujus aurium aut oculorum erroris exempla: A. I, 44. *donaria militaria* pro *dona militaria;* cap. 47. *adversos eos* pro *adversus eos;* c. 51. *catervis levis cohortes* pro *catervis leves cohortes;* II, 36. *si honorum per quinquennium agitant* pro *si honorem* etc.; c. 71. *si quos propinquos sanguis* pro *si quos*

11) Idem mendum in aliis quoque bonis codd. Mstis deprehenditur. Sic Martial. III, 89, 1. cod. Puteaneus Parisinus pro vulgata lectione *mollibus utere malvis* exhibet *mollis utere malvis.* Mart. III, 44, 5. codex Palatinus praebet *hoc valde vitiosum periculosum est* pro *hoc valde vitium* etc. Eodem vitio in nota Bachii ad Tac. A. I, 19. scriptum est *aliter fortiter* pro *alii fortiter.* Eiusdem vitii exempla e vett. Velleii libris collecta vide in Kritzii Prolegg. p. XCV. sq.

propinquus sanguis; c. 82. *templores flores* pro *templorum fores*. III, 1. *Brundisium, quod naviganti celerrimum fidissimumque adpulsum erat* pro *Br. q. n. c. f. adpulsu e.*: quam vulgatam lectionem praefero Doederlini emendationi *ad adpulsum*. Etenim si supinum usurpare nolis, expectares saltem *ad adpellendum* vel *adpellenti* vel *adpulsui*. Cf. Ramshorn. Gramm. Lat. §. 170, 2. not. 3, c. et d. et f. pag. 657. sq. A. III, 10. *illa dimissa ejus causae delatione . . . obtinuit* pro *ille dimissa* etc. C. 42 *quae conscriptae Treveris* pro *quae conscripta e Treveris*. A. IV, 33. *ancepto redeo* pro *ad incepta redeo*; c. 40. *qui te invito perrumpunt* pro *qui te invito p.* C. 57. *locis occultantis* pro *locis occultantem*. C. 66. *adversum casum* pro *adversum casus*. C. 74. *foedum illum* pro *foedum illud*. VI, 14. *sanus repertus* pro *sane is repertus*. C. 48. *ludibria et periculaaria* pro *ludibria et pericula*. XI, 3. *percusi Asiatici . . . officiis* pro *percursis Asiatici ... officiis*. C. 7. *cogitaret plebem, qua toga enitesceret* legitur in codd. Mstis pro lectione vulgata *c. p., quae toga enitesceret*, quae ex Pichenae et J. Fr. Gronovii emendationibus composita est. Corruptam Mstorum scripturam a Walthero, Bachio, Rupertio revocatam esse mirere, praesertim quum simile mendum A. XII, 45. a Lipsio correctum sit, qui lectionem codd. Mstorum et edd. veterum *qua fraude* emendarit in *quae fraude*. C. 10. *in cujus transgressum multum certato pervicit Vardanes* pro *in cujus transgressu m. c. p. V.* C. 14. in vetusto archetypo pro *aborigines Arcade ab Evandro* idem scriptum fuisse videtur, quod in cod. G. et ed. Spir. legitur, scilicet *aborigines Arcades ab Evandro*, id quod lectione cod. Ma. firmatur, cujus librarius aboriginum ignarus, syllabam *ab* pro praepositione accepit ideoque in novum errorem delapsus servata forma *Arcades* scripsit *ab originibus Arcades ab Evandro*. C. 19. in codd. Ma. G. ed. Spir. legitur *idem senatus, magistratus, leges imposuit* pro scriptura *senatum* a Puteolano usque ad Waltherum vulgata; quam quod recentissimi editores deseruerunt, miror. Neque enim in s i n g u l i s q u i b u s q u e p a g i s senatus institutos esse credas, sed ex primoribus Frisiorum u n u s t o t i u s p o p u l i senatus creabatur, quod etiam apud alias nationes a Romanis factum esse constat. C. 20. *beatos quosdam* pro *beatos quondam*. A. XII, 2. *femina experta*

fecunditatis pro *f. expertae f.* C. 13. *praecipue religione Herculi* pro *praecipua r. H.* C. 15. *diffisis propriis viribus* pro *diffisi p. v.* C. 16. *gratibus et vimentibus* pro *cratibus et vimentis.* C. 22. *Cottam Messalinam* pro *Cottam Messalinum* C. 41. *remotis fictis causis* pro *remoti f. c.* C. 61. *potuisset tradidisset* pro *potuisset tradi: set.* C. 67. *cibo leto* pro *cibo boletorum.* A. XIII, 13 *intempestatem severitatem* pro *intempestivam severitatem*, non — ut Doederlinus Praef. p. XVI. conjecit — pro *intempestam s.*; hoc quippe sensu Tacitus semper dixit *intempestivum*, nunquam *intempestum.* C. 21. *novissimam suscipiendam accusationis operam* pro *novissimam suscipiendae accusationis operam.* C. 31. *ceterae coloniae* pro *ceterum coloniae.* C. 54. *earum gentium legum* pro *earum gentium legati.* C. 55. *in qua pecora* pro *in quam pecora.* A. XIV, 13. *festo cultu senatu* pro *f. c. senatum.* C. 3. *illo tanto facinori* pro *illi t. f.* C. 28. *cuius is* pro *cuius ii.* C. 34. *vexillariis vicesimariis* sive *v. vicesimaris* pro *v. vicesimanis.* C. 45. *plurimorum indubiam innocentium miserantium* pro *pl. i. innocentiam m.* A. XV, 29. librarius Medicei codicis scripturam *sublatum capiti*, quam etiam in archetypo extitisse ex consensu omnium codd. Mstorum et edd. veterum colligas, corrupit in *sublati capiti.* Lectionem *sublatum capiti* ob creberrimam literarum *e* et *i* confusionem ex genuina *sublatum capite* ortam ducas, nisi si cum Doederlino putas, Tacitum structuram verbi *tollere* ad usum verborum detrahendi atque auferendi accomodasse, sicut adipiscendi verbum A. III, 55. VI, 45. in modum verbi *potiri* genitivo junxit. — A. XV, 57. *intactis tormentis* pro *intacti tormentis.* A. XVI, 32. lectio Mstorum *honesti et exerciti* inserta particula *et* orta est ex scriptura *honesti exerciti*, quae rursus e lectione vulgata *honesti exercitus* corrupta erat. H. I, 38. *apud quod* pro *apud quos*; c. 41. *comitatae Galbae cohortis* pro *comitatae Galbam cohortis.* C. 87. *plerosque e praetorianis viris ut robur exercitus* pro *p. e pr. vires et robur e.* H. II, 20. *quos inequos videre* pro *quos in aequo videre* [12]. C. 42. *gladibus et securibus* pro *gladiis et securibus.* C. 43. *Varenus Alfenus* pro *Varus Alphenus.*

---

12) Inde simul videbis emendationem a cl. Jacobo in Obss. ad Tac. H. critt. Part. II. p. 4. propositam *quos in aequo sibi videre* supervacaneam esse.

C. 76. *promptum effectum* pro *promptum effectu*. C. 80. *Germanica hiberno coelo ac laboribus dura* pro *G. hiberna coelo* etc. C. 94. *in summa abundantiae pecuniae* pro *in s. abundantia p*. C. 96. extr. *exaucto rato* pro *exauctoratos*. H. III, 13. *secretorum castrorum affectans* in codd. Ma.B.C. legitur pro scriptura familiae Genuensis *secreta castrorum a.* usque ad Bipontinos et Oberlinum vulgata et a Walthero, Bekkero, Rittero, Rupertio revocata, vel pro emendatione cod. Msti. A. *secretum castrorum a.*, quam a Bachio et Kiesslingio receptam ego quoque praeferam. C. 16. extr. lectio Ma. *integrum suum et ipsi metu* pro vulgata *integri suometipsi metu* orta esse videtur ex prava verborum distinctione *integri suum et ipsi metu*. C. 42. in codd. Mstis et ed. Spir. legitur *Apenninis jugis* pro vulgata inde a Puteolano lectione *Apennini jugis*, quam Bachius, Rupertius, Kiesslingius [13]) temere respuisse mihi videntur. Cf. Waltherum ad h. l. C. 74. lectionem codd. Ma. A. B. Oa. a sec. m. *praemia enavatae operae* (Ma. *enovatae*, C. *evacuatae*) ex archetypi scriptura *praemiae navatae operae* ortam putaverim. Neque enim verbum illud novum atque inauditum e n a v a n d i cum Ryckio, Rittero, Bachio, Rupertio, Kiesslingio Tacito intrudere ausim, quoniam is ubique operam n a v a r i dicit et auctifica vis adverbio *penitus* et Germanico praefixo er similis, quam praepositio *ex* in verbis compositis interdum exercet, ab hoc loco aliena esse videtur [14]). Omnino autem vereor, ne origo verbi *navare*, ex qua formula *operam navare*, auctore Doederlino in Lat. Synon. Vol. I. p. 112, idem significat, quod *naviter operam s. navam operam dare*, adjectionem praepositionis *ex* ut pleonasmum renuat. Nec magis huc pertinent,

---

13) Etiam Jacobus in Obss. ad Tac. H. critt. part. II. p. 15 lectionem codd. Mstorum tuetur: at his in rebus non T a c i t u m, ut illi videtur, sed l i b r a r i u m a r c h e t y p i v e t u s t i libere variare novimus.

14) Exempla, quae Petersenius in Annotatt. ad Tac. Specim. II. p. 18 sq. ad lectionem *enavatae operae* defendendam contulit, nihil probant, nisi quod Tacitus cum aliis quoque scriptoribus, si quando alicujus verbi vim augeri atque intendi voluit, praepositionem e interdum praefixit: quod, quamvis verum sit, nihil momenti ad hujus loci rationem affert, quoniam auctam et intentam significationem ex totius sententiae indole minime expectabis.

quae Reisigius in Scholl. Grammat. Latin. §. 177. de relatione ad animum, quam praepositioni *ex* in verbis compositis tribuit, disseruit. — H. IV, 11. *nec deerat ipse stipatis armatis* pro *stipatus armatis*. C. 13. *multos ceteros anteibat* pro *multo* etc. C. 15. *hiberna proxima occupata* pro *h. p. occupatu*. C. 34. extr. *interfectum inmanem quantum* pro *interfectum immane quantum*. C. 53. *pueris puellisque patrimis matrimisque aquatrimis e fontibus amnibusque hausta* pro *p. p. p. m. aqua vivis e fontibus* etc; et paulo infra *sedesque suas pietates* pro *sedesque suas pietate*. C. 66. *ignaris discriminis* pro *ignari discriminis*. C. 76. *e reliquis Germanicis exercitus* pro *e reliquiis Germanici exercitus*. H. V, 5. *aeternum neque imitabilem neque interiturum* pro *a. n. imitabile* etc. C. 20. *pluris nuntiis* pro *pluribus nuntiis*. C. 22. *ornati militari* pro *ornatu militari*. C. 26. *apud Vitellium legatum* pro *a. Vitellii l.* Extant etiam in Agricolae Mstis codd. duo praeclara hujus vitii exempla. Ibi enim c. 3. codd. Msti Vatt. et edd. vett. ante Lipsium exhibent *multis fortuitis casibus* pro *multi f. c.*; et c. 28. in Mss. Vatt. legitur *immixtis manipulis* pro *immixti manipulis*. Ejusmodi corruptelam igitur Lipsius A. XII, 44. sanasse mihi videtur vulgata codd. Mstorum lectione *juvenem potentiae promptae* in *juvenem potentiae promptum* mutata, quam conjecturam ut ingenio codicis Medicei, ita sententiae atque usui scriptoris aptissimam ceteris a viris doctis tentatis praeferam. Cf. A. I, 29. *promptum ad asperiora ingenium Druso erat.* II, 78. *init. Piso promptus ferocibus.* IV, 60 *extr. mater Agrippina promptior Neroni erat.* XII, 4. *accipiendis suspicionibus promptior.* XIII, 8. *studia eorum in Corbulonem promptiora erant.* XV, 25. *promptus in pavorem*; c. 61. *promptum in adulationes ingenium*; c. 67. *faciendis sceleribus promptus.* XVI, 14. *promptum ad caedes principem.* Agr. 35. extr. *promptior in spem.* — Tum A. XIII, 45. Rupertius idem vitium sustulit, recepta lectione cod. Msti G. et edit. Spir. *consularis et triumphali decore praefulgentis* pro vulgata *consulari et triumphali d. pr.*, postquam Walther, Ritter, Doederlinus edidere scripturam cod. Ms. *consularis et triumphalis decore pr.* non memores hujus vitii in Ms. frequentissimi. Eodem mendo Agric. 44. in edd. legebatur *consularibus ac triumphalibus ornamentis praedito*, donec Becker, Hertelius, Peerlkampius, Rothius, Bachius, Dronkius (in

edit. sec.) e codd. Vatt. genuinam scripturam *consulari ac tr. orn. pr.* restituere. Etenim non insignia tantum consularia Agricolae data fuerant, sed ipsum consulatum gesserat. Cf. Agr. 9. extr.

Doederlinus A. XIV, 34. simile mendum correxit: ibi enim nulla lectionis varietate notata vulgatur *animo adeo fero*; sed quum totius loci ratio et sententia non feritatis et immanitatis, sed ferociae ac superbiae commemorationem poscat, proprietatem verborum amplexus conjecit vir sagacissimus *animo adeo feroci* legendum esse. Idem A. XIV, 48. extr. vulgatam Mss. et edd. vett. lectionem emendavit scribendo *eo privatim miseriorem et publice clementiae maximum exemplum futurum* pro *publicae clementiae* etc. [14a]. Et saepissime verba *privatim* et *publice* sibi opponuntur, v. c. apud Senecam Epist. 95. p. 227, a. ed. Gruter. a. 1604. Cic. de Invent. I, 4. Verr. II, 1, 6. Sall. Cat. 11, 6. Iugurth. 8, 2. Vell. II, 3, 1. Plin. Epp. X, 1, 2. 18, 2.

De altero vitiorum genere.

Dein notanda est barbari librarii oscitantia et sensus ac sermonis ignorantia, quibus is ductus casum, numerum, genus, modum nominis aut adjectivi aut verbi saepe mutavit, ut proximo alicui substantivo aut adjectivo aut verbo ea adstrueret atque accommodaret [15]. Ita

---

14a) Simile vitium ap. Vell. II, 28, 3. sustulit Puteanus corrigendo *Ut...iugulati civis Romani publice constitueretur auctoramentum,* quum ed. pr. *civis Reip.* praeberet. H. l. apogr. Amerb., quippe quod *civis R. publicae* habeat, lectionem codicis Murbacensis fidelius editione principe servasse facile intelligitur, id quod contra Kritzium moneo, qui nimio studio fidem editionis principis ab Orellio nuper impugnatam sustentandi eo provectus est, ut iniquum de illo apographo iudicium faceret eique parum auctoritatis tribueret.

15) Etiam in aliis codd. Mstis id vitium deprehenditur. Sic in vetustissimo optimoque Martialis codice Vossiano, quem Schneidewinus litera R. signavit, IV, 73, 8. scriptum est *seque mori post hoc credidit ille senex* pro vulg. *ille senem*; ibid. X, 71, 4. *nulla sorte jacent candidiore senes* pro *nulli sorte* etc. Similiter in Prolegg. edit. Schneidewin. p. LIX. ita typis expressum est: *Sunt eae* (scilicet *notae*) *in alia quoque exemplaria transcripta.* Legendum haud dubie *transscriptae.* Eiusmodi exempla e vett. Velleii libris col-

formae congruunt quamvis magno sententiae damno. Exempla apposui haec. A. I, 7. legitur in M. *quanto quis illustrior .... neu tristior primordio* pro *neu tristiores primordio;* c. 35. *nudant universa corpora* pro *n. universi corpora.* A. III, 43. *nobilissimarum Galliarum subolem* pro *nobilissimam Galliarum s.* A. IV, 33. *noscendi vulgi natura* pro *noscenda vulgi natura.* C. 35. *suam cuique posteritas rependunt nec deerunt* pro *s. c. p. rependit: nec deerunt*; c. 37. *per omnes provinicias effigie numinum sacra ambitiosum* pro *p. o. p. e. n. sacrari a.;* c. 54. *nurui suae manu tradidit* pro *nurui sua manu tradidit.* A. VI, 21. codex habet *haerere primo dein pavescente, et quantum introspiceret, magis ac magis trepidus ..... postremo exclamat* etc. pro vulgata lectione *h. primo, dein pavescere et .... trepidus .... postremo exclamat,* vel pro Jac. Gronovii emendatione *h. primo, dein pavescens et ..... trepidus ....postremo exclamat* etc. Haec Walthero et Ernestio probata mihi quoque vulgata lectione magis placet. Cf. locum simillimum A. II, 3. *Artavasden regem Armeniorum specie amicitiae illectum, dein catenis oneratum, postremo interfecerat.* — A. VI, 36. *tota mole regni ultimi id* pro *t. m. regni ultum iit.* C. 42. legitur in M. *et quotiens concordes agunt, spernuntur. Parthus, ubi dissensere, . . . valescit* pro *et q. c. agunt, spernitur Parthus: ubi dissensere, ... valescit.* A. XI, 3. *percusi Asiatici in rem publicam officiis* pro *percursis A. i. r. p. officiis;* c. 15. *saepe adversis rei publicae temporibus accitis* pro *accitos;* c. 37. *denuntiatque centurionibus et tribuno, qui aderat, exsequi caedem* pro *qui aderant.* A. XII, 35. *cuncta virtute expugnabili clamitare* pro *c. v. expugnabilia clamitare;* c. 36. *incedentibus regiis clientulis falere torquibus* pro *phalerae torquesque;* c. 45. init. *qua fraude confici potuerint, prompta nuntiat* pro *quae fraude* etc.; c. 48. *plures tuta disserunt: omnes scelus externum* pro *omne scelus externum.* A. XIII, 8. *verbis magnificis* pro *verbis magni-*

---

lecta invenies in Kritzii Prolegg. p. CV. — CVII., e Livii codicibus apud Drakenb. ad Liv. VI, 3, 8.; hic vir doctissimus id vitium primus, quod sciam, notavit.

ficus; c. 9. *illi ob recentem gloriam et inclinationem quandam etiam hostium Corbulonem praetulere* pro *i. o. r. g. et inclinatione quadam* etc.; c. 14. *generis humani regimen expostulantis* pro *generis humani regimen expostulantes*; c. 19. *nemo adire praeter paucas feminas amore an odio incertas* pro *amore an odio incertum* [16]; c. 57. *fusa . . . concreta* pro *fusa . . . concretum*. A. XIV, 17. *oppidana lascivia invicem incessente* pro *o. l. i. incessentes*; c. 20. *Nerone quarto Cornelio Cosso Coss.* pro *Nerone quartum* etc.; c. 21. *nec perinde . . . populo efflagitanti Graeca certamina a magistratibus causam fore* pro *nec perinde . . . populo efflagitandi. . . . causam fore*; c. 46. *damnatus idem Coss. Tarquitius Priscus* pro *damnatus isdem Coss.* etc. A. XV, 5. *sibi imbecillum equitem pabuli inopiam* pro *pabuli inopia*; c. 17. *ducum inter se brevis sermo secutus est hoc conquerentium irritum laborem* pro *d. i. s. b. s. s. e., hoc conquerente irritum laborem*; c. 30. *structam ante auguralem aram* pro *str. ante augurale aram*; c. 42 *vestigia irrita spei* pro *vestigia irritae spei*; c. 50. *crebro ipsius sermonis* legitur in Ma. pro vulgata lectione *crebro ipsius sermone*, quam Walther, Bachius, Rupertius editionem Spirensem temere secuti in *crebro ipsius sermonibus* mutarunt. At

---

16) Frustra scripturam codd. Ma. B. Oa. R. ed. Spir. *incertas*, quam Bachius et Walther temere in textum recepere, Petersenius l. l. II. p. 5. et Jacobus in Obss. ad. Tac. A. critt. Part. II. p. 14 defendere studuerunt. Sane quidem passivo sensu interdum incertus dicitur is, de quo dubitatur, sed exemplis a viris doctissimis allatis simul id probatur, tunc verbo finito addito dicendum fuisse *praeter paucas feminas incertas amore an odio agerent*. Quisquis formulae *incertum an* memor est, certo non dubitabit vulgatam *incertum* retinere Cf. locos hosce simillimos: A. XIV, 9. *Mnester ipse se ferro transegit, incertum caritate in patronam an metu exitii*; c. 51. init. *concessitque vita Burrus incertum valetudine an veneno*; XV, 38. init. *sequitur clades forte an dolo principis incertum*; H. I, 75. extr. *stetit domus utraque sub Othone incertum an metu*; H. IV, 6. *ea ultio incertum major an justior senatum in studia diduxerat*; Agric. 7. *ne: legatus praetorius ad cohibendum potens, incertum suo an militum ingenio*: quibus locis lectiones *incertus* aut *incerta*, si forte extarent, perinde non possent ferri.

patet vulgatam *sermone* ob singularis formam *crebro* servandam esse. Cf. c. 73. *crebro vulgi rumore;* c. 54. *multo sermone;* H. IV, 52. init. *multo apud patrem sermone;* Cic. Epp. ad Att. XV, 11, 2. *multo sermone.* — A. XV, 53. *quamvis absurdum videretur aut inane aut spem Antoniam nomen et periculum commodavisse, aut Pisonem ... matrimonio se obstrinxisse* pro *q. a. v. aut inanem ad spem* etc. C. 57. *intactis tormentis* pro *intacti tormentis.* C. 72. *nam et ipsa pars Romanarum cladium erat* pro *nam et ipse p. R. cl. e.* A. XVI, 23. *accipiendae Armeniae regno* pro *accipiendo A. regno;* c. 28. *facilius perlaturos singula increpantium, quam nunc silentium* pro *f. p. singula increpantem* etc. H. I, 8. *solliciti et irati superbia recentis victoriae et metus* legitur in cod. Ma. et ed. Spir. pro vulgata *metu.* Cf. ea, quae Heinischius in scriptione scholastica Gymnasii Glatz. 1840. p. 11. sq. contra lectionem illam a Rittero, Bachio, Kiesslingio receptam acute disputavit. C. 15. *judicii mei documentum sit non meae tantum necessitudines, quos tibi postposui, sed et tuae* pro *j. m. d. sint non meae tantum necessitudines* etc. C. 25. *in communi omnes metu mutandae militiae terrebantur* pro *in commune* etc. C. 43. *a quibus protractus* Piso *in foribus templi trucidatus* pro *trucidatur.* C. 84. *Si Vitellio .... eligendi facultas detur, quae nobis animum* etc. ortum puta ex archetypi scriptura *que nobis animum* pro *quē* (i. e. *quem*) *nobis animum.* C. 86. *majorem humana specie* pro *majorem humana speciem.* C. 88. quod in B. legitur *motae urbis cura,* idem arbitror in archetypo scriptum fuisse pro vulgata codd. G. Oa. edd. Put. sqq. lectione *mota urbis cura,* quam scripturae a codd. A. C. R. et ed. Spir. oblatae *motae urbis curae* alii editores postposuerunt, inter quos Walther et Bachius utpote familiae Romanae addicti. At tenor orationis ablativum absolutum *mota urbis cura* efflagitat. Ceterum utramque lectionem et Genuensis et Romanae familiae correctione demum ex scriptura archetypi *motae urbis cura* ortam esse ipso dissensu probatur. — H. II, 76. *splendiori origine* pro *splendidior origine;* c. 79. *hoc ..... caput* pro *haec .... caput.* C. 80. *Germanica hiberno coelo ac laboribus dura* pro *Germanica hiberna coelo* etc. H. III, 5. *Felix .... ad occupandam ripam Aeni* fluminis, quod *Raetos Noricosque interfluit missum* pro *mis-*

sus; c. 19. *spernuntur centuriones tribunique, ac ne vox cuiusquam audiatur, quatiuntur arma rupturi imperium, ni ducantur* pro *quatiunt arma rupturi imperium, ni ducantur.* C. 32. codd. Ma. C. H. ed. Spir. *coloniam majorem opum specie* (C. H. ed. Spir. *speciem*) exhibent pro vulgata inde a Rhenano lectione *c. majorum opum specie*, aut — id quod equidem probarim [17] — pro lectione codd. G. Oa. edd. Put. a Broterio revocata *c. majore opum specie.* Etenim sequente forma *opum* genitivus *majorum* non tam facile in accusativum mutabatur, quam ablativus *majore* addita litera *m* in accusativi formam transibat, cuius ansam dabat accusativus nominis substant. proxime antecedentis *coloniam.* — C. 34. codd. Ma. (a pr. m.) C. exhibent *a primordio suo* pro *a primordio sui.* H. IV, 31. *et praefectus cohortis evictus, Alpinius Montanus* pro *et p. c. e victis* etc. C. 53. *deos precatus, uti coeptas prosperarent sedesque suas pietate hominum inchoatas divina ope attollerent* pro *d. p., uti coepta* etc. H. V, 9. *civili interno bello* pro *civili inter nos bello.* C. eod. extr. *Drusilla in matrimonia accepta* pro *Dr. in matrimonium accepta.* C. 15. *totis illic corporibus nitentes vulneratis cum integris . . . . . implicabantur* pro *vulnerati cum integris . . . . . implicabantur.* C. 20. lectio codd. Mstorum *ut praesidia cohortium, alarum . . . . quadripartita invaserit* eodem mendo affecta est, quo apud Liv. IV, 59. cod. Vossianus primus, qui praebet *tripartitos ad devastandos fines discessere* pro *tripartito* etc. Sic in Caes. B. G. I, 25. Ernestius e pluribus codd. Mstis variam lectionem *bipartita signa intulerunt* pro *bipartito* affert. Tribus his locis librarii formam vocabuli *bipartito* aut *tripartito* aut *quadripartito* ad proximum nomen subst. accomodarunt.

Item Agr. 37. Mstus cod. Vat. 4498. exhibet *in fugam versis non agminibus* pro *in fugam versi, non agminibus.* Agr. 43. edd. vett. exhibent *hic alius agens populus* pro emendatione Rivii et Rhenani *hic aliud agens populus*, quam codd. Mstis Vatt. firmari ex silentio Maggioranii et Clementis cum Dronkio colliges.

---

17) Nunc video etiam Jacobo in Obss. ad Tac. H. critt. Part II. p. 15. lectionem edit. Broter. probari. Putarim, inquit, *coloniam*, ut fit, traxisse adjectivum insequens, reddendum suo nomini *specie*: ea enim, species, maior divitiis veris.

Tot exempla vitii si reputaveris, probabis hasce vv. dd. emendationes: A. XIII, 32. Neuius lectionem codd. Mstorum *longa huic Pomponiae aetas* ope editionis Spir. mutavit in *longa hinc P. aetas* A. XV, 28. e scriptura cod. Ma. et ed. Spir. *locus . . . . . . cum barbaris delectus est ob memoriam laetioris sibi rei, Corbulo non vitatus, ut dissimilitudo fortunae gloriam augeret* Doederlinus certam hanc elicuit conjecturam *locus . . . . . barbaris delectus est ob m. l. s. r., Corbuloni non vitatus, ut* etc. Ceterae editiones in omnia alia discedunt. Proxime ad veritatem accessit emendatio a Jac. Gronovio ad A. XV, 10. sub vv. *famam aucti exercitus* proposita *locus. . . . tum a barbaris delectus est ob m. l. s. r., Corbuloni non vitatus.* Sed languet particula *tum* et turbat ordinem orationis. Scriptura cod. Ma. *c u m barbaris* per dittographiam ex antecedentibus vocc. *c u m Paeto* orta est. Cf. ea, quae infra de decimo vitiorum genere commemorabo. — A. XVI, 19. Neuius et Doederlinus recte suspicati sunt *novitatem* pro vulgata codd. Mstorum lectione *novitate*, quae originem traxit ex proxime praecedente ablativo *sub nominibus*, quocum *novitate* per particulam *et* conjungendum esse librarius archetypi vetusti censuit. Ceterum annoto *novitatē* fortasse primitus scriptum fuisse. — H. II, 101. Kiesslingius vulgatae lectioni *scriptores temporum . . . . curam pacis et amorem reipublicae corruptas in adulationem causas tradidere* praefert scripturam codicum et editionum familiae Genuensis *corrupti in adulationem causas tradidere.* H o m i n e s enim c o r r u p t o s in adulationem dici posse bene monuit, non item c a u s a s. C a u s a s et argumenta p e r adulationem c o r r u p t a dixeris. Exemplis a Kiesslingio allatis adjungas haec: Ann. II, 62. *c o r r u p t i s p r i m o r i b u s a d societatem.* A. IV, 10. *c o r r u p t a a d scelus L i v i a.* A. XIII, 21. *l i b e r t o s a d scelus c o r r u p t o s.* A. XIV, 63. init. *p r a e f e c t u m i n spem sociandae classis c o r r u p t u m.* Fortasse H. II, 101. in archetypo mendose scriptum erat *reipublicae corruptae*, unde diversitas lectionis etiam facilius, quam ex scriptura *corrupti* oriri poterat. — H. III, 6. init. ineptam vulgatam lectionem *Arrius Varus strenuus bello, quam gloriam et dux Corbulo et prosperae in Armenia res addiderant* Bipontini editores optime correxisse mihi videntur accusativo *q u a m* in dativum *c u i* mutato. Non ea enim sententia Taciti verbis potest inesse, Arrium Varum g l o r i o-

sam famam strenui bello viri eo adeptum esse, quod duce Corbulone stipendia meruisset et in Armenia rem bene gessisset, — id quod Walther opinatus est — sed auctor Varum in bello revera strenue egisse dixit, eique super hanc virtutem gloriam fortuna et opportunitate additam fuisse, quod Corbulonem ducem habuisset, et prospere in Armenia pugnasset. Etenim non omnis vir strenuus ac fortis etiam gloria famaque floret. Cf. de verborum constructione Ann. XIII, 36. *Caesar .... addidit gloriam victo.* Hist. II, 4. extr. *tantum his vigoris addiderat integra quies;* cap. 31. *addiderat huic terrorem atque odium caedes Galbae.* In archetypo exitui vocabuli *gloriam* puto assimilatam fuisse terminationem relativi *qui*, (ea enim est antiqua dativi forma Ann. XIII, 23. init. in codd. Mstis et edd. vett. servata) ita ut librarius *quam gloriam* pro *qui gloriam* scripserit. Universe quidem id teneas, librarios relativum ad formam substantivi insequentis aut antecedentis frequenter adstruxisse. Sic A. XI, 7. in codd. Mstis legitur *cogitaret plebem, qua toga enitesceret* pro *quae toga enitesceret.* A. XII, 45. init. *qua fraude confici potuerint, prompta nuntiat* pro *quae fraude* etc. A. XIII, 20. *nos consensum auctorum secuturi, qui diversa prodiderint, sub nominibus ipsorum trademus* pro *n. c. a. s., quae d. p.* etc. Saepius autem dativi forma *qui* non intellecta turbas movit in libris Mstis et editis. Cf. praeter ea, quae Reisigius in Schol. Gramm. Lat. §. 125. p. 191. ibique Haasius in nota 220. de hac re docuerunt, varietatem lectionis apud Cic. Brut. 89, 304. s. vv. *cui frequens aderam,* quae ex tali confusione originem duxit. Sic ap. Tac. Ann. XII, 20. lectio codd. Mstorum *quin inopi* etc. orta ex scriptura *qui* (i. e. *cui) inopi,* quum particula *quin* proxime antecedat. Contra in cod. M. Ann. III, 1. init. scriptum est *cuique* pro *quique.* — H. III, 7. Bötticher in versione germanica et Kiesslingius lenissima hujusmodi emendatione verbis scriptoris genuinam formam reddiderunt. Etenim quum in Mstis codd. Ma. G. et ed. Spir. legatur *vulgata victoria post principia* (in Ma. *p'rincipia* pro *p'principia* i. e. *post principia) belli secundum Flavianos datae legiones* [18]) *septuma Galbiana, tertia decuma Gemina* .....

18) Miror quod scriptura codd. Ma. G. a Walthero, Bachio, Kiesslin-

veniunt, inde elicuerunt *data*, ita tamen ut ille hanc vocem referat ad *victoria*, hic ad *principia*. Et Kiesslingius quidem melius rem expedivit. Cf. exempla a Walthero jamjam allata: A. IV, 43. *ita secundum Messenios datum.* Suet. Claud. 15. *secundum praesentes facillime dabat.* Adde ex Plin. Epp. VII, 6, 9. *quaestio secundum reos dedit.* Vulgata scriptura *duae legiones* ex infelicissima emendatione Puteolani originem traxit.

De tertio vitiorum genere.

Aliud vitium a codd. Mstis Mediceis in enuntiatorum conformatione admissum. Saepius enim accidit, ut librarii, sensu et structura verborum parum intellectis, flexione primi praedicati decepti et concinnitati orationis praepostere consulturi, in eundem aut certe similem modum, quo prius praedicatum formatum erat, verbum finitum vel infinitum, quod proxime sequebatur, flecterent. Ita genus, modus, numerus, casus verbi praedicati nonnunquam in pejus mutata sunt[19]. A. IV, 35. cod. M. exhibet *posteritas rependunt nec deerunt, si* etc. pro *p. rependit: nec deerunt, si* etc. A. VI, 2. extr. *suaderet* in M. legitur pro *suadere*, quasi id verbum aeque ac praecedens *foret* a conjunctione *si* penderet. C. 42. init. *et quotiens concordes agunt, spernuntur: Parthus, ubi dissensere . . . . . accitus . . . . valescit* pro *et q. c. agunt, spernitur Parthus: ubi dissensere . . . . accitus . . . . valescit.* A. XI, 1. *habere* pro *haberet* praebet

---

gio prave recepta etiam Jacobo in Obss. ad Tac. Hist. critt. Part. II. p. 12. tantopere placuit. Quod si emendationem *data* non ignorasset, certo vestigia codicum non tam anxie pressisset.

19) In idem vitium Mart. XIII, 75, 1. librarii codd. Voss. R. et Hannover. h. delapsi *turb*abit scripserunt pro *turbabis*, quoniam forma *vol*abit statim in eodem versu sequitur. Vell. II, 118, 1. init. ed. pr. et apogr. Amerb. exhibent *cred*ebat pro *credat*, quum c. 117, 4. extr. imperfectum *trah*ebat proxime antecedat. In Dial. de Oratt. 5. Mss. Neap. Periz. pro emendatione Rhenani plerisque edd. recentt. probata *omittit* praebent *amitti*, quam formam infinitivi antecedentes, *parere*, *tueri*, *adsciscere*, *complecti* traxerunt. Quae quum ita sint, Ernestio cum Schaefero assenties, quod Plin. Epp. X, 2, 3. *maluere* (sc. *dii*) *hoc potius tempore me patrem fieri* pro lectione codd. Mstorum et edd. vett. *malui*

cod. Ma. cum ed. Spir. ob antecedentem infinitivum *turbare*. C. 11. *nam is quoque edidit ludos saeculares, isque intentius affuit* pro *iisque intentius affui*. C. 35. *dat* verbum finitum in modum antecedentis *fuit* aut *fecit* (nam codd. Msti fluctuant inter utrumque verbum) scriptum est pro participio *datum*. A. XII, 49. in archetypo vetusto pro vulgata lectione *conversatione scurrarum* per sextum decimum vitium, de quo in altera commentationis parte dicam, *conversationes curarum* scriptum fuisse arbitror, syllaba *um* parum claro compendio picta; unde, quum praesertim conjunctivus *oblectaret* statim sequatur, scriptura codd. Ma. B. G. R. edd. Spir. Put. *conversationes curaret* facile oriri potuit. C. 61. *neque dubium haberetur* ob conjunctivum *colerent* proxime praecedentem scriptum est pro *habetur*. Si modum potentialem admitteres, certe sec. pers. sing. conj. imperf. act. *haberes* expectares. A. XIII, 9. extr. genuina scriptura *addi* . . . . . *conjunxi* ob antecedens *jussit* in *addidit* . . . . *conjunxit* depravata est, unde Bachius *addidi* parum apte elicuit recepitque. C. 55. extr. *superfundere* pro *superfunderent* ob antecedentem infinitivum *contueri*. A. XIV, 43. *cui familia opem ferat* in codd. Ma. B. ed. Spir. irrepsit pro vulg. *feret*, quoniam conjunctivus *protexerint* a conjunctione *quum* pendens proxime antecedit. C. 54. *jubere* pro *jube* ob antecedentem infinitivum *sustinere*. C. 58. *transissent* pro *transisse* scriptum ob plural. *nequiverint*, quasi asyndeton esset. C. 61. eodem vitio *mallet* pro infinit. *malle* scriptum ob conjunct. *datura sit*. A. XVI, 10. init. *invisit* pro *invisi* ob aoristum *subiere*. H. I, 11. in codd. Ma. A. B. legitur *provinciae* . . . . *exposita* . . . . *cessura erant* pro vulg. *cessurae erant*. Librarii enim flexioni participii *exposita*, quod pro neutro plur. accipiebant atque ad provincias Italiamque referebant, formam alterius participii adaequarunt. H. II, 95. *crederetur* pro *creditur* scriptum est, quasi id verbum cum praecedentibus *si* . . . . *frueretur* cohaereret. Cap. 101. ob verbum proximi, quod antecedit, enuntiati *tradidere* pluralem numerum *anteirentur* . . . . *videntur* a librario archetypi

---

rescripsit. Forma primae personae sing. num. ex antecedenti *volui* orta videtur: et fortasse in archetypo *maluē* i. e. *maluere* scriptum fuerat. Cf. etiam Drackenb. ad Liv. VI, 3, 8. not. extr.

sententiae ignaro aut incurioso pro singulari *anteiretur* . . . *videtur* positum fuisse putaverim. Cf. ea, quae Ritter et Kiesslingius contra Waltherum et Bachium, qui pluralem defendere conati sunt, disputarunt. H. III, 16. *occurreret* pro *occurrerent* ob singul. *reciperet*. H. IV, 58. *sufficit* pro *suffecit* ob praesens *demoventur*. Cap. 70. librarius codicis Ma. ob conjunctivum praecedentem *viderentur* scripserat *perfugerent*, sed postea ultimas literas expunxit. Itaque facile est intellectu, Bachium, Ritterum, Rupertium[20]) e cod. A. et ed. Spir. lectionem *perfugere* vulgatae *perfugerunt* recte praetulisse. Eandem emendationem probavit Haasius in Ectactis Diariis philologicis Zimmermanni a. 1836. no. 84. insertis p. 678. subtili discrimine nisus, quod apud Tacitum inter perf. temporis tertiae pers. plur. terminationes *erunt* et *ere* nescio an recte statuerit. Cap. 86. codd. Msti pro vulg. *subduceretur* exhibent activ. formam *subduceret* ob anteced. *velaret*. H. V, 26. *quae Antonius epistolis, Hordeonius Flaccus praesens m o n e b a t, arma in Germania m o v i t* pro vulg. *a. i. G. movi* ob antecedentem tertiae personae formam *monebat*. Quibus exemplis comparatis Waltherum in Observ. in Tac. Spec. II. p. 17. Ann. XI, 17. init. pluralem *memorabant* in singularem numerum *memorabat* bene mutasse censeo. I t a l i c i enim erat ea memorare, quae Tacitus ad vulgi gratiam et favorem quaerenda jacta esse refert, non i l l o r u m, qui his ipsis rebus, quae pro Italici partibus memoratae erant, evicti et commoti juvenem regem sequebantur. Plurales *coegere* et *sequebantur* formam *memorabant* traxisse, facile est intellectu. Sane aegre feres, quod Walther ipse suam certissimam emendationem postea sprevit utpote codd. Mstis addictus.

De quarto vitiorum genere.

Jam vero accedamus ad quartum genus vitiorum in codd. Mstis Mediceis obviorum. Si quando librarii in aliquo vocabulo legendo haerebant incerti, quid scriberent, sive sua inscitia ac stupore, sive quod literae in vetusto exemplari parum clare et distincte scriptae

---

20) Etiam Petersenius l. l. II. p. 20. lectionem *perfugere* probavit.

erant, fieri solebat, ut similis cujusdam vocabuli, quod modo descripserant, memores rem ita expediri opinarentur, ut ad substituendam hanc vocem pro dubia suffugerent. Quamquam interdum etiam accidit, ut nulla legendi difficultate in angustias coacti propria oscitantia ac socordia verbum quoddam proximo simile redderent [21]). Quam observationem his exemplis probatum iri spero.

A. I, 28. cod. M. exhibet *et si alii bonis artibus grati in vulgus: in vigiliis . . . . se inserunt* pro *ii vigiliis . . . . se inserunt.* C. 54. *Tatios* pro *Titios* ob antecedens nomen *Tatius.* A. II, 2. *majoribus* pro *moribus* ob anteced. voc. *majorum.* A. III, 5. *aut Germanico* pro *at Germanico* in cod. M. legitur, quoniam antecedunt verba *aut quae posteri invenerint, cumulata.*

---

21) Sic Martial. XII, 14, 10. in optimo cod. Parisino a Schneidewino litera T. signato *tusnior* pro *tutior* scriptum est, quoniam v. 9. nomen *Tuscis* proxime antecedit. Porro Epigr. II, 7, 2. librarius cod. Voss. R. scripsit *Historias bellas, carmina belle facis,* quia in versu primo *declamas belle, causas agis, Attice, belle* legerat. In Mart. Epigr. de Spectaculis 23, 4. optimus cod. Paris. T. exhibet *ille cessit* pro *illi cessit,* quoniam nominativus *ille tulit* v. 3. praecedit. In simile vitium delapsus doctissimus Burmannus ad Mart. Supposit. 1, 6. e cod. Vossiano R. *fenore libens* affert, quum eodem versu *stringo libens* legatur. Docuit autem Schneidewinus ibi scriptum esse *lib-* i. e. *liber,* ut e ceteris libris recte vulgatur. Cf. editionem Schneidew. Vol. II. p. 736. Etiam Epigr. III, 60, 4. in cod. Palatino aliisque bonae notae libris legitur *sumitur* pro *sugitur* , quia v. 3. *sumis* praecedit. Epigr. II, 3, 1. optimus codex Vossianus R. cum Voss. A. (a pr. manu) et Hannoverano exhibet *Sexte, nihil debes, nihil debes, Sexte, fatemur* pro *Sexte, nihil debes, nil debes, Sexte, fatemur.* Cic. Orat. 46, 155. codex Erlang. habet *exitium interpretes* pro vulgato *extûm interpretes,* quippe quum *exitiûm examen* paule ante praecedat. Ibid. 43, 151. in edd. Ven. 1. 2. Tulich. Victor. Meyer. legitur *in quo quidem . . . . reprehendunt* pro vulgata *in quo quidam* etc.; quippe proxime antecedit *quidem* particula, quae alterum illud *quidem* traxit. Ibid. 49, 164. codd. et edd. ad Orellianam usque pro coniectura Ernestii Beiero et Orellio probata *itemque* exhibent *idemque,* quod praeter perpetuam in Mstis confusionem literarum *d* et *t* inde videtur originem traxisse, quod in antecedentibus *et idem* aut *idemque* saepius legitur v. c. §§. 155. 156. 157.

C. 11. lectio *Fulnicium* orta est ex scriptura archetypi *mulnicium* pro *m. vinicium,* quum cap. 10. nomen Fulcinii legatur. A. IV, 56. extr. *censuitque Vibius Marcus* pro *c. V. Marsus* in codice legitur, quippe quum praenomen Marci statim sequatur. C. 74. librarius cod. M. *propatibulo* pro *propatulo* scripsit, quippe cujus aures ad percipiendum vocabulum *patibulo* paulo ante c. 72. lectum pronae essent. A. VI, 44. in cod. M. forma *Abdagesis* pro *Abdageses* ex c. 43. extr. irrepsit, ubi *Abdagesis* legitur. A. XI, 11. *is quoque edidit ludos saeculares, isque intentius affuit* pro *iisque i. affui.* C. 16. librarius archetypi vetusti *Armenii* scripsit pro *Arminii:* quippe male memor erat Armeniorum, de quibus paulo ante Tacitus a cap. 8. usque ad cap. 10. multa rettulit. A. XII, 20. lectio *quin inopi* pro *qui* (i. e. *cui*) *inopi* orta esse videtur ex scriptura antiqua *qui* i. e. *cui,* quum praesertim particula *quin* brevi ante praecedat. C. 63. in codd. Mstis et edd. vett. *graecorum* legitur pro *caecorum* antecedente voce *Graeci.* A. XIII, 8. *pars auxiliarium . . . . pars civium sociorumque numerus* pro *par civium sociorumque numerus.* C. 9. *quo bellum ex quo modo pararet* pro *quo bellum ex commodo pararet.* Cf. etiam quae p. 33. ad eundem locum annotavi. C. 29. extr. in libris Mstis et edd. vett. aperto vitio *praefectura perfunctos* scriptum est, quoniam brevi ante praefecti aliquoties commemorantur. Vulgatur inde a Pichena *praetura perfunctos.* C. 57. *super arentem arborum struem* pro *s. ardentem a. st.* ob antecedentia verba *arescente unda.* A. XIV, 5. cod. Ma. cum libris familiae Genuensis exhibet *eminentibus tecti parietibus* pro *e. lecti p.,* quum antecedat *ruere tectum loci.* C. 21. librarius archetypi vetusti *paucas potius quinquennii noctes* scripsit pro *p. totius q. n.* prave memor adverbii *potius* modo in eodem cap. scripti. Porro una ex causis corruptelae, qua cap. 26. verba Taciti *Pharasmani Polemonique* a librario cod. Ma. in *pars nipulique* mutata sunt, in eo quaerenda esse videtur, quod *pars Armeniae* antecedit. C. 37. libri Msti exhibent *octingenta millia Britannorum cecidisse tradunt* pro vulgata editionis Spir. lectione *octoginta millia* etc. Causa corruptionis in forma *quadringentis,* quae statim sequitur, sita esse videtur. Crediderim librarium archetypi verba sequentia *militum quadringentis ferme interfectis* ita accepisse, quasi *millibus* ex anteceden-

tibus supplendum sit ad genitivum *militum* explicandum. Tum sane octingenta millia Britannorum cecidisse expectares. At hodie vix erit, qui credat, tot Romanorum ac Britannorum millia cecidisse: et Dio Cass. LXII, 8. totum Britannorum exercitum CCCXX millia explevisse narrat. — A. XV, 28. *augebatur* pro *angebatur* exhibent codd. Msti praeter Budensem, ex quo Rhenanus vulgatam induxit. Antecedit enim verbum *augeret*. C. 36. in cod. Ma. et ed. Spir. legitur *auditurus* pro *aditurus* ob anteced. *audire*. C. 53. lectio codd. Ma.C.R. et ed. Spir. *aut inane aut spem* pro *aut inanem ad spem* ex scriptura *at* orta esse videtur, qua multos veterum eosque non illiteratos usos fuisse Schneider Gramm. Lat. I. p. 251. sqq. docuit. C. 62. in cod. Ma. et ed. Spir. scriptum est *neque aliud superesse quam matrem fratremque interfectos, quam ut educatoris praeceptorisque necem adjiceret* pro vulg. lectione *neque aliud superesse post matrem* etc. Particula *quam* e sequentibus verbis praesumta eo facilius irrepere potuit, quod formula *neque aliud quam* tritissima auribus et socordi menti librariorum se ipsa videtur obtulisse atque obtrudisse, praesertim si praepositionem *post* per compendium p' scriptam fuisse in archetypo statuis. H. I, 15. *non meae tantum necessitudines, quas tibi postposui, sed et tuae: et tibi frater* etc. pro *est tibi frater* etc. C. 46. codd. Ma. A. C. G. ed. Spir. exhibent *quarta pars manipulis pars per commeatus* pro *q. p. manipuli sparsa per c.* Ibi voc. *pars* librario archetypi fraudi fuisse mihi videtur, ut iterum scriberet *pars*, litera *s* voci praecedenti annexa. C. 62. extr. *prosperae rei nomen* pro *omen* in cod. Ma. et ed. Spir. ex verbis antecedd. *nomine Germanici statim addito* irrepsit prava memoriae tenacitate. C. 75. *omnibus invicem ignaris* pro *o. i. gnaris*. Antecedit enim substantivum *ignorantia*. H. II, 20. ob antecedentem vocem *equo* in cod. Ma. scribitur *quos ine quos videre* pro *quos in aequo v.*, in C. et ed. Spir. *quos in equis v.*, in G. *quos in equo v.* H. III, 21. *mox tertia decima densis arbustis intersepta* pro *tertia densis a. i.* legitur in codd. Mstis et edd. vett., quoniam *tertiam decimam* praecedit. H. V, 2. *Judeos* pro *Idaeos* cod. Ma. solus, sed c. 4. *Judaeis* pro *Idaeis* ceteri quoque libri exhibent, quippe quum Tacitus Judaeorum res his locis referat. C. 21. codd. Ma. B. R. et ed. Spir. prae-

bent *versa fortuna praecipites Germani in amnem aguntur* . . . . . *idem Germani effugium* pro *idem Veracis effugium.*

De quinto vitiorum genere.

Saepe in codd. Mediceis factum est, ut librarii ultimam praecedentis vocabuli literam aut primam sequentis omitterent, si quando altera vox ab eadem litera incipiebat, in quam altera desinebat [22]; de quo corruptelae genere cf. Drakenb. ad Liv. 39, 6, 2. Hujus vitii exemplis alia quaedam immiscui, quibus in eundem fere modum peccatum est: interdum enim mediis in vocabulis simplices literae pro geminatis scriptae sunt.

A. I, 8. codex exhibet *anteferentur* pro *anteferrentur.* C. 11. *ad eos* pro *ad deos.* C. 65. *per quae geritur humus* pro *per quae egeritur humus* A. II, 7. *Chatos* et *Chatorum* pro *Chattos* et *Chattorum.* A. III, 18. *victoria sacrari* pro *victorias sacrari.* C. 31. lectio cod. M. *oratorum aetate uberrimus erat* orta est ex scriptura archetypi *oratorum e aetate u. erat* pro *oratorum ea aetate u. erat.* A. IV, 35. *derunt* pro *deerunt* [23]), mox *patres: et manserunt* pro *patres:set manserunt.* A. V, 10. *quippe lapsum* pro *quippe elapsum.* A. VI, 34. *modum obsidionis* pro in *modum obsidionis*, ubi praepositio *in* a litera *m* absorpta est. A. XI, 2. init. *Poppe* pro *Poppee* i. e. Poppaeae. A. XI, 4. *domum suam nesteris* pro *domum suam Mnesteris.* C. 29. *circa necem Caesaris* pro *c. n.* C. *Caesaris.* C. 30. *pelici* pro *pellici* [23a]) A. XIII, 9. lectio codd. Ma. R. *ex quo modo* orta esse videtur

---

22) Sic Mart. IV, 73, 8. lectio codicis Puteanei *hoc reddidit* pro vulgata *hoc credidit* orta est ex archetypi scriptura *hoc redidit* quam cod. Vossianus a Schneidewino litera B signatus a prima manu exhibet. Exempla e vett. Velleii libris collegit Kritzius in Prolegg. p. CVII sqq

23) Item Mart. XII, 14, 7. cod. Thuaneus *derit* exhibet pro scriptura cod. Vossiani R a Schneidewino recepta *deerit*, codd. Puteaneus et Vossianus A *derunt* pro vulgata antehac lectione *deerunt.* Item in Mediceo codice Epist. Cic. ad. Fam. *dest* et *dęssę* legi testatur Orellius in ed. Cic. Vol. III. P. I. p. 23.

23a) Eodem mendo Mart. IX. 41, 1. in cod. Palatino *pelice* pro *pellice*, et in cod. Cassellano Serviani commenti ad Virg. Aen. I, 28. *paelicis* pro *pellicis* scriptum.

ex scriptura *ex co modo* pro *ex commodo*. De ratione, qua in lapidibus et codicibus Mstis saepe *c* pro *qu* scribitur, vide Heinrichium ad fragm. orat. Cic. pro Scauro p. 54. n. 13., Cramerum ad fragm. orat. Cic. pro Tullio p. 64., Maium ad fragm. orat. Cic. pro Flacco p. 94. et ad Frontonis reliq. p. 69. ed. Berol. — A. XIV, 21. in codd. Mstis et edd. vett. legitur *efflagitandi Graeca certamina magistratibus causam fore* pro *e. G. certamina a magistratibus c. f.*; quod si Walther et Bachius terminationem vocis *certamina* respexissent, certo praepositionem *a* non respuissent. C. 36. extr. *certus eventu Suetonius* pro *certus eventus Suetonius*. C. 38. *in urbe mandabat* pro *in urbem mandabat*. C. 48. extr. lectio codicum *eo privatim miserior et publicae clementiae . . . . . futurum* pro vulgata *eo privatim miseriorem et p.* etc. orta est ex scriptura archetypi *miseriorē et publice* etc. A. XV, 9. *in quo saxa* pro *in quos saxa*. C. 28. *honor ejus* pro *honore ejus*. C. 37. codd. A. C. R. ed. Spir. *exempla referam* exhibent pro lectione edd. Bernegg. Gronov. Ryck. Walth. Bach. Ritt. Rup. Doed. *exemplar referam*, quam in cod. Ma. repperit Pichena. C. 66. *conisis* pro *connisis*. A. XVI, 10. *Polutia* pro *Pollutia*. H. I, 5. *oppressus: et* pro *oppressus: set*. C. 11. *cessura erant* pro *cessurae erant*. C. 33. *obsidione nimirum* pro *obsidionem nimirum*; litera *m* a syllaba *ni* iisdem fere ductibus scripta absorbebatur. H. II, 1. *victoris: et* pro *victoris: set* exhibent codd. Msti et edd. vett. H. III, 5. *trahuntur in parte Sido atque Italicus* pro *tr. i. partes Sido* sqq. C. 7. cod. Ma. teste Pichena *p'rincipia* pro *p'principia* i. e. post principia exhibet. Idem vitium jam in vetusto archetypo extitisse videtur; quo factum est, ut codd. B. G. (a. pr. m.) O. praepositionem *post* omitterent. C. 37. *accipientisque blandiretur* pro *accipientisque eblandiretur*. C. 40. *Aduae* pro *Adduae*. C. 66. *ut res consulatus* pro *ut tres consulatus* [23b]). C. 70. codd. Ma. B. G. ed. Spir. pro vulgata inde a Puteolano lectione *cujus nimio ardori imparem esse modestiam suam* exhibent *cujus nimius ardor: imparem esse modestiam suam*, quam scripturam contra Waltheri rationes Bachius et Kiesslingius,

---

23b) Simillime Mart. IX, 41, 5. in codd. Puteaneo et Vossiano A. *utres* pro *ut tres* scriptum.

posito colo post vocem *ardor*, male recepere [24]). Nam praeterquam quod flumen orationis hac distinctione prave abrumpitur et usus adjectivi *impar* dativum apud Tacitum quodammodo poscit, Tacitus potius in hunc modum verba collocasset: *cujus ardor nimius* (sc. *esset*). De structura vocis *impar* cf. A. VI, 32. *patriis moribus impar*. A. XII, 44. *odiis novercae impar*. A. XIV, 54. *levissimis quoque curis impar*. A. XV, 57. *muliebre corpus impar dolori*. H. I, 75. *bello impares*. H. II, 59. *impar curis gravioribus*. H. IV, 1. *temperandae victoriae impares*. Germ. 31. extr. *tam durae virtuti impares*. Ceterum post absorptam voce *imparem* ultimam vocabuli *ardori* literam forma adjectivi *nimius* nominativo substantivi *ardor* eo facilius accommodata est, quo terminationes *us* et *o* ob compendium *s* i. e. *us* in codd. Mediceis frequentius permutatae sunt. De qua confusione conf. quae infra referam, ubi de tertio decimo vitiorum genere agam. — H. III, 86. *praecipit in occasum die* pro *praecipiti in o. d.* H. IV, 58. *aliciendo* pro *alliciendo*. C. 68. *Tulio* pro *Tullio*.

Quae tot exempla si reputaveris, A. II, 80. e lectione cod. M. *ne tela quidem nisi agrestia aut subitum usum properata*, quam Beroaldus correxerat in hanc vulgatam *n. t. q. n. agrestia ad subitum u. p.*, Doederlinus recte elicuisse tibi videbitur *n. t. q. n. a. aut subitum in usum p.*, ut duplex telorum genus memoretur. Addas etiam alibi praepositionem *in* male omissam esse. Cf. praeter exemplum ex A. VI, 34. supra allatum A. XII, 25., ubi cod. Ma. praebet *habita apud senatum oratione eundem quem a liberto acceperat modum* pro *h. a. s. o. in eundem* etc. — Idem Doederlinus A. XII, 49. init. pro vulgata *ignavi animi et deridiculo corporis juxta despiciendus* argute conjecit legendum esse *ignavia animi* etc., quia sequens particula *juxta* illam structurae variationem quamvis ceteroqui Tacito frequentatam respuat. Cf. A. IV, 59. extr. *Sejanum, qui nunc patientiam senis et segni-*

---

24) Probavit et Jacobus l. l. II. p. 18., quoniam incisa oratio trepidum et singultim pauca locutum unice deceat. At Tacitus Vitellium non eo terrore perculsum descripsit, quo Jacobus segnem alioquin et torpidum animum ejus impulsum sibi fingere videtur, ut auctor ipsius verba ad imaginem vitae ita descripta referret, ut oratio Tacitina summae perturbationis notas prae se ferret.

tiam iuvenis iuxta insultet. A. I, 48. *innocentes ac noxios juxta cadere.* — A. XI, 30. extr. Ernestius et Bekker pro vulgata codd. Ma. G. et edd. Put. lectione *frueretur immo iis*, (Ma. G. et edd. Bach. Rup. *his*) *et redderet uxorem* lenissima mutatione rescripserunt *f. i. iis, set r. u.* Nam particulam *set* requirit, *et* respuit vis adversativa alterius membri orationis. De scriptura *set* cf. quae infra in sexto vitiorum genere de A. IV, 63. dicam. — A. XII, 35. Bezzenberger in Emendationum delectu p. 28. e scriptura cod. Ma. ed. Spir. *praefectique tribuni paria disserentes* bene elicuit *praefectique* et *tribuni* pro vulgata *praefecti ac tribuni.* Cf. H. II, 5. extr. *tribuni centurionesque et vulgus militum;* c. 89. *praefecti castrorum tribunique et primi centurionum.* Omnium frequentissima est haec conjunctionum copulativarum consociatio apud Tacitum, ut labore exempla colligendi quondam suscepto mox destiterim. Ceterum asyndeto, quod Doederlinus Praef. XII. statuere videtur, hic non est locus. Etenim asyndeton in oratione Tacitina frequentatur, non quo Tacitus verborum parcissimus sit, quae opinio solita scriptori synonymorum accumulatione refutatur; sed rerum novarum studio, quod aeque in literarum historia, quam in rebus publicis viget, liberiori usui asyndeti apud Ciceronem, Caesarem, Livium artis finibus circumscripti praecipue indulget, ita tamen, ut aut oppositionem aliquam augeat, aut orationis vim atque alacritatem, ut sic dixerim, intendat. At non est, quod trita praefectorum et tribunorum copulatio alacritate quadam imbuatur. Immo si aliquod asyndeton in hujus loci structura admitteres, expectares saltem *miles proelium poscere, cuncta virtute expugnabilia clamitare, praefecti tribunique . . . ardorem exercitus intendebant.*

A. XIV, 58. idem Bezzenberger l. l. p. 37. scripturam cod. Ma. *et clari atque insontes interficerentur, praecipuum ad pericula* optime ita corrigit, ut inter vocabula *insontes et interficerentur* conjunctionem *si* interserat [24a]. Vulgatur ex emendatione Ernestii *et si clari* etc. A. XV, 13. Walthero, Doederlino, Bezzenbergero (l. l. p. 38.) facile assentiere, quod lectionem cod. Ma. et ed. Spir.

24a) In eandem emendationem etiam Heinischium incidisse addo, postquam scriptio eius scholastica Glatz. a. 1843. edita ad meum usum recens comparata est. Cf. l. l. p. 5.

ac vis ingrueret ex genuina scriptura *ac vis si ingrueret* ortam putant. Inde a Puteolano in edd. legitur *ac si vis ingrueret.* H. I, 58. extr. Walther, Bachius, Kiesslingius emendationem Jac. Gronovii receperunt. Is enim e scriptura codd. Ma.A.C.R. et ed. Spir. *sanguine Capitonis cruentaverat* collegit legendum esse *sanguine Capitonis se cruentaverat* pro vulgata *qui se sanguine Capitonis cruentaverat,* cujus verba *qui se* sane speciem additamenti prae se ferunt. H. IV, 26. extr. lectionem cod. A, quae quidem emendatoris manum prodere mihi videtur, *ductus Voculae exercitus* haud absurde recepit Bachius, probarunt Walther et Bezzenberger l. l. p. 19., quoniam in codd. Ma. B. et ed. Spir. *ductus Vocula exercitus* [25]) scribitur pro vulgata scriptura *ductus a Vocula exercitus,* quae deterioris tantum familiae Genuensis levissima sane auctoritate parum commendatur. H. IV, 28. Freinshemii sententiam, quam Bip. Oberl. Bekk. Kiessl. amplexi sunt, ego quoque probaverim. Ille enim pro vulgata *alia manu Mosam amnem transire jubet* legi vult *aliam manum Mosam amnem transire jubet.* Quam lectionem si propter cumulum accusativorum cum Walthero respuas, scribas certe cum Faërno et Acidalio *alia manu Mosam amnem transiri jubet.* Equidem *aliam manum* ... *transire* praetulerim et ob solitam structurae varietatem et quia verbum, quod sequitur, *quateret* ad subjectum *manus* referendum est.

De sexto vitiorum genere.

Nec minus frequens lectiones codd. Mediceorum perlustranti occurrit contrarium vitium, repetitam dico ultimam praecedentis

25) Lectionem *ductus Vocula exercitus* probavit Jacobus l. l. II. p. 23. Sed vide Bezzenbergerum, qui l. l. contra prolatam a Fickertio ad Senec. de Clem. I, 24. opinionem de omissa ante nomen proprium praepositione *a* talibus locis ablativum aut causae aut instrumenti statuendum esse censuit. Tribus illis locis, quos a Fickertio ex Tacito allatos Bezzenberger in hunc modum expedivit, adde A. VI, 44. *Tiridates simul fama atque ipso Artabano perculsus;* A. XIV, 8. *respicit Anicetum trierarcho Herculeio et Oloarito centurione classiario comitatum.* Hi sunt ablativi instrumenti. Cf. Ramshorn. §. 141. not. 1, a. p. 424.

vocabuli aut primam sequentis literam [26]. Similiter medio in vocabulo aliqua litera nonnunquam geminatur; quare utriusque vitii exempla conjunxi.

A. I, 9. *vitae ejus* pro *vita ejus*. C. 47. init. *incassum* pro *in casum*. A. II, 8. *Amissiam* pro *Amisiam*. C. 56. *hominum ingeniis set situ terrarum* pro *h. ingeniis et situ terrarum* A. IV, 32. *compossivere* pro *composuere*. A. VI, 28. *deffiniere* pro *definiere*. C. 35. lectio codicis *ne pugnam per sagittas sinerent* pro vulgata *n. p. p. sagittas inirent* ex archetypi, ut videtur, scriptura *n. p. p. sagittas sinirent* orta est. A. XI, 10. *in cujus transgressum multum certato* pro *in cujus transgressu multum certato*. C. 26. lectio cod. Ma. *conscios patriam metuentes* originem traxit ex scriptura archetypi *pariam metuentes* pro *paria metuentes*. A. XII, 48. *omnes scelus* pro *omne scelus*. A. XIII, 22. *Pantello* pro *P. Anteio* libri Msti et editi veteres exhibent ob summam similitudinem, quam literae *i* et *l* in minuta scriptura praeferunt. C. 46. init. *addiceret* pro *adiceret* i. e. *adjiceret*; de scriptura *adicere*, quae saepius in cod. Mediceo reperitur, ut A. XIV, 11. 56. XV, 16. 51., cf. Schneideri Gramm. Lat. I. p. 287. sq. — A. XIV, 33. extr. lectio codd. Mstorum *aliorum insignes* pro *aliorum* (vel *laborum*, ut cum Lipsio et Doederlino suspicor) *segnes* ex repetitione literae *m* et ex scriptura archetypi *signes* orta esse videtur. C. 57. *nec ultra moras. Sulla* etc. pro *nec ultra mora. Sulla* etc. A. XV, 24. *nunc committere* pro

26) Sic Cic. Epp. ad Att. VIII, 16. extr. in cod. Mediceo manifesta corruptela a pr. m. scriptum est *quod dubii audissem* pro *quod ubi a.*, quod ab altera m. superscriptum. Dial. de Oratt. 16. init. in codd. Neap. Periz. et edd. vett. pro vulgata *quaestionem movisti: sed* etc. legitur *q. movistis: sed* etc., quum praesertim c. 15. extr. *recessistis* plurali numero positum sit. Martial. I, 92, 2. optimus cod. Thuaneus *tangis se digito* exhibet pro *tangi se digito*. Genuinam igitur scripturam Plin. Epp. X, 117, 2. a Scheffero repertam esse facile credideris. Is enim pro vulgata *arbitror praesertim ex solennibus causis concedendum jussi invitationes* scribi jussit *concedendum jus invitationis*. Vides quam facile inde vulgata lectio oriri potuerit literis *s* et *i* repetitis. Exempla e vett. Velleii libris Kritzius in Prolegg. p. CXI. sq. collegit.

nunc omittere. C. 53. *velut magno operis sacrum* pro *v. m. operi sacrum.* C. 69. lectio codd. Mstorum et edd. vett. *pavorem eorum et mensae exitium opperientium* originem traxisse videtur ex archetypi scriptura *p. eorum ex mensae exitium o.* pro vulgata *p. eorum ex mensa exitium o.*, quae est felicissima Francisci Medicis emendatio. Ceterum paene vereor, ne cui minutiarum studiosus videar, quod cum Doederlino *e mensa* legere malim. Nam praeter haud suavem syllabae *ex* repetitionem monendum est universe, in melioribus Taciti codicibus, imprimis in cod. Ma., literam *e* magis quam praepositionem *ex* cum particula *et* confundi [27]). Cf. A. XIII, 2. *potentia et* pro *potentiae.* A. XIV, 53. cod. R. et edd. vett. *e quibus claritudo venit* exhibent pro *et quibus c. v.* A. XV, 41. ed. Spir. *e quo Senones* habet pro lectione codd. Ma. G. H. O. Oa. edd. Put. Beroald. *et quo Senones*, quam Ursinus, Walther et Doederlinus vulgatae *quo et Senones* praetulerunt, Bachius et Rupertius bene in textum receperunt. C. 71. ed. Spir. *et Gnatia* pro *Egnatia.* H. II, 21. *a quibusdam et vicinis coloniis* pro *a q. e vicinis coloniis;* mox *invidiae aemulatione* pro *invidia et aemulatione.* C. 24. *et praetorio* pro *e praetorio.* C. 41. *et astrictis* pro *ea strictis.* C. 59. init. cod. B. et ed. Spir. *et fidissimus* exhibent pro *e fidissimis* H. IV, 53. *aquatrimis et fontibus amnibusque hausta* pro *aqua vivis e fontibus amnibusque hausta.* H. V, 12. ed. Spir. *et Lazarus* praebet pro *Eleazarus.* H. V, 22. codd. Msti et edd. vett. pro vulgata ex emendatione Rhenani lectione *mulieris Ubiae: vigiles* exhibent *mulieris: ubi et vigiles.* Quae scriptura ex archetypi lectione *mulieris ubie vigiles* orta est, neque opus Waltheri emendatione Ru-

---

27) Ita Sall. Jug. 77. extr. cum Muellero, Kritzio, Jacobo (in censura editionis Kritzianae Zimmermanni Diariis a. 1835. inserta) corrigas vulgatam *emissae eo cohortes Ligurum quattuor* in *et missae* etc. Ap. Cic. Brut. III, 11. cod. Gudian. 2. pro vulgata *mihi visus est et monere te prudenter et consolari amicissime* praebet lectionem *emonere* a Goerenzio ad Acad. I, 3, 9. probatam et a Schuetzio male receptam. Martial. X, 68, 11. cod. Thuaneus prave exhibet *et discas* pro *ediscas.* Cf. praeterea Drakenborchium ad Sil. Ital. III, 57. de hac confusione.

pertio probata, Bachio recepta *mulieris Ubiae*: *et vigiles*. Quare etiam H. IV, 37. malim scribere *mixtus e Cattis, Usipiis, Mattiacis exercitus*, quam vulgatam inde a Rhenano lectionem sequi. Nam codici A., qui solus *mixtus ex Caucis* habet, nulla auctoritas est, nisi quam emendatoris ingenio tribueris, et scriptura codicum Ma. B. *mixtus et Caitis*, editionis Spir. *mixtus et Cautis* mihi quidem potius formam *e* firmare videtur [27a]. Accedit quod lectio codd. et edd. familiae Genuensis *mixtus Cactis* indicat, genuinam scripturam esse *mixtus e Cattis*. Litera *e* quippe propter similitudinem ductuum a sequenti litera *c* vocis *cattis* absorpta esse videtur, ut A. XV, 36. lectio codd. Mstorum *dehinc dicto* ex vera scriptura *dehinc edicto* mutata est, et H. I, 58. extra lectio Mss. Ma.C.R.A. et ed Spir. *sanguine Capitonis cruentaverat* ad emendationem Jac. Grönovii *s. Capitonis se cruentaverat* manum ducit. Concedendum tamen tum in codd. familiae Genuensis tum in libris familiae Romanae minus bonis nonnunquam *ex* cum *et* permutari. Sic A. XIV. 51. codd. famil. Genuens. *ex intimis* exhibent pro *et intimis*. A. XV, 41 cod. C. habet *ex quo* pro lectione codd. Ma.G.H.O.Oa. edd. Put. Ber. Bach. Rup. *et quo*. C. 68. codd. B. C. et ed. Spir. praebent *et conjurati* pro *ex conjuratis*. A. XVI, 1. in codd. R.G. et ed. Spir. *ex promisso* pro *et promissa* legitur. H. I, 13. cod. G. edd. Put. *ex rumoribus* praebent pro *et rumoribus*. C. 14. iidem libri habent *ex Scribonia* pro *et Scribonia*. C. 79. cod. R. edd. vett. praebent *et ferocia* pro *ex ferocia*. C. 86. codd. R.H. et edd. Spir. Put. pro *et cubilibus* exhibent *ex cubilibus*. H. III, 26. in libris familiae Genuensis *et temeritate* legitur pro *ex temeritate*. C. 27. ed. Spir. *et proximis agris* praebet pro lectione cod. Ma. a recentioribus editoribus recepta *ex proximis agris*. Antea vulgabatur *e proximis agris*. C. 69. in cod. B. *ex quibusdam* legitur pro *et quibusdam*. Sed redeo ad exempla sexti vitiorum generis enumeranda. A. XVI, 13. init. *faedum in annum* pro *foedum annum*.

27a) Ceterum vix est quod doceam, varias lectiones *Caucis* et *Cautis* ortas esse ex archetypi familiae Romanae scriptura *Caitis* pro *Cattis*, quam codd. Ma. B. fideliter servarunt. Cf. quae de literarum *i* et *t* confusione infra sub duodecimo vitiorum genere dicam.

C. 22. scriptura codicis Ma. *admovisti* orta ex archetypi lectione *ammovisti* pro vulgata *amovisti*. C. 25. extr. *si in* pro *sin*. H. I, 5. cod. Ma. pro *angebat aspernantis* exhibet *angebat a* (in fine versus) *aspernantis* (ab initio sequentis versus). C. 34. extr. lectio cod. Ma. ed. Spir. *multa arbitrabantur* orta ex scriptura *multia arbitrabantur* pro *multi arbitrabantur*. C. 79. init. *Rhosolanis Sarmatica gens* pro *Rhosolani Sarmatica gens*. H. III, 2. *concittator* pro *concitator*. C. 18. init. *signa . . . . profectas.set* pro *signa . . . . provecta.set*. C. 24. *tollerent* pro *tolerent*. C. 42. *Appenninis jugis* pro *Apennini jugis*. H. IV, 20. *Herrennio* pro *Herennio*. C. 46. extr. lectio codicis Ma. *quod tutissimo remedio* originem traxit ex archetypi scriptura *quot tutissimo remedio* pro *quo tutissimo r*. C. 50. lectio codd. Ma. G. *Offensium* ex scriptura archetypi *OFENSIUM* pro *OEENSIUM* orta esse videtur litera F geminata. C. 66. extr. *Bettasios* pro *Betasios*. C. 68. *Varrus* pro *Varus*. C. 76. *imperitia adulescentuli* pro *imperiti adulescentuli*. C. 86. *ante ea* pro *antea*. H. V, 7. codd. Msti et edd. vett. *flores seu* exhibent pro *flore seu*, deinde *Bellus amnis* pro *Belus amnis*. H. V. 17. in codd. Ma. B. *virtutis sciens* legitur pro *virtutis ciens*.

Quae quum ita sint, A. II, 84. init. scriptura codicis *Livia nupta Druso duos viriles sexus simul enixa est* magis ad J. Gronovii emendationem *duos virile secus* quam ad vulgatam *duos virilis sexus* manum ducit, quum praesertim Tacitus A. IV, 62. et H. V, 13. eadem locutione usus sit. Emendatio probatur etiam a Creuzero in Ann. liter. Vindobonn. Vol. LXVII. p. 215., qui de formula dicendi Valesium ad Ammian. XVI, 11, 9. p. 222. ed. Wagner. et Ruddimanni. Institt. Gramm. Lat. Vol. I. p. 32. et 128. conferri jubet. Adde Gronov. et Drakenborch. ad Liv. XXVI, 47, 1.

Iisdem illis exemplis nititur emendatio Beroaldi, qui quum A. IV. 63. init. in cod. legisset *et saepe certamen, si confusior facies sed par forma aut aetas errorem agnoscentibus fecerat*, corrigebat *e. s. c. s. c. facies et par forma* etc. Revocarunt quidem recentissimi editores inde a Bekkero codicis scripturam, sed, ut mihi quidem videtur, praepostere Mediceo obtemperarunt; cujus scriptura si genuina esset, ea loci sententia foret, confusiore quidem mortuorum facie errorem hominum ad corpora agnoscenda con-

currentium non adjutum esse, sed tamen pari forma aut aetate deceptos saepe plures de eodem corpore velut sui cuiusque propinqui certasse. At hanc non esse loci condicionem facile est intellectu. Nequaquam enim confusior facies pari formae aut aetati opposita esse potest. Si qua mortui facies mole aliqua obruti confusior redditur, investigatio veri ea debilitate perinde ac similitudine formae aut aetatis impeditur: itaque etiam confusior facies agnituros in errorem facile inducit. Tacitus igitur id potius dicere mihi videtur, faciem hominum ruina amphitheatri obrutorum confusiorem fuisse, quam ut exanimi pro certo agnosci potuerint, et parem formam aut aetatem necessariis aut amicis saepe imposuisse, ut in idem cadaver incidentes alii aliud corpus agnoscere sibi visi sint. Simillima ex emendatione Pichenae A. II, 56., ut supra rettuli, *ambigua gens ea antiquitus hominum ingeniis et situ terrarum* vulgatur pro scriptura codicis *ingeniis sed situ t.* Ceterum utraque corruptio eo facilius oriri potuit, quo verisimilius est, librarium archetypi [28]) forma *set* usum fuisse [28a]). Ita A. IV, 53. lectio cod. *censuere patres, et manserunt* etc. orta est ex archetypi scriptura *c. patres, set m.* etc. A. XII, 61. lectio cod. Ma. *potuisset tradidisset* ex archetypi scriptura *potuisset tradi.set* originem traxit. H. I, 5. lectio codd. Mstorum et edd. vett. *oppressus: et quamvis* orta ex scriptura *oppressus: set quamvis.*

---

28) Etenim in scriptura codd. Mediceorum vestigia ejus scribendi rationis, quà Tacitus ipse antiquitus usus fuerit, hodieque conspicua esse — id quod Bachius opinatus est — mihi quidem non est persuasum. Neque enim crediderim cum veteres librarios, qui librum aliquem in prima exemplaria iussu ipsius auctoris vel bibliopolae transscripserunt, in re orthographica eam viam ingressos esse, ut suam quisque scribendi consuetudinem abiecerint et in describendis voluminibus eam rationem anxie retinuerint, qua scriptor ipse aut librarius, cui is librum suum dictaverat, usus fuerit, tum posteriorum temporum librarios in re, quae ex illorum temporum iudicio sane levissima habebatur, fidem diplomaticam tam fideliter servasse, ut molestissimam legem sibi ipsi imposuerint. Haec atque talia nostra demum aetas vidit atque invenit.

28a) In Mediceo quidem codice legitur A. I, 4. *set vetere atque insita Claudiae familiae superbia;* c. 32. extr. *set pariter ardescerent.* Cf. Pichenam in Praef. ed. Tacit.

H. II, 1. libri scripti et editi *victoris:et* exhibent pro *victoris: sed*; quippe in archetypo *victoris:set* scriptum fuisse videtur. C. 3. cod. Ma. praebet *s&* *mares deliguntur* pro *sed m. d.* H. 3, 18. in eodem cod. scribitur *set ubi fortuna contra fuit.* C. 66. libri familiae Romanae pro vulgata *promitti; sed* exhibent lectionem *promittis et*, quae ex archetypi scriptura *promitti set* facile oriri potuit. Eadem antiqua scriptura *set* Doederlini emendatio firmatur, in quam ego quoque incidi, priusquam editio viri doctissimi ad me perlata est. Is enim A. IV, 7. pro vulgata lectione *ultor metuebatur non occultus odii et crebro querens* scribi jussit *non occultus odii, sed crebro querens*, quoniam in cod. legitur *n. o. odiis et crebro querens*. De formula *occultus odii* cf. A. VI, 36. *aliosque occultos consilii.* A. IV, 53. *manifestus offensionis.* A. XV, 66. *manifestus pavoris.* H. II, 83. *ambiguus consilii.* A. VI. 46. *incertus animi.* Plaut. Rud. I, 3, 31. *incerta sum consilii.* Liv. IV, 57. *incertus sententiae.* Senec. Epist. 45. *certus judicii.* Occultus autem dicitur is, qui in occulto agere solet. Cf. Cic. Epp. ad Fam. III, 10. *sin autem me astutum et occultum libet fingere.* Liv. XXV, 16. init. *ab occultis cavendum hominibus consultisque.* Tac. H. II, 38. *Cn. Pompejus occultior, non melior.*

Sed redeo ad inceptum. A. XV, 14. archetypi, ut videtur, scripturam *quod* de *Armenia eernerent*, quam codd. Ma.H.Oa.R. et edd. Spir. Bach. servarunt, a librariis codicum Agricolae et Ursini et a Beroaldo, quem Ryck. Ern. Brot. Oberl. Kiessl. Walth. Rup. secuti sunt, bene emendatam esse cum Doederlino censeo. Ii enim *quo* (scil. *consilio*) de *Armenia cernerent* scripserunt. Rursus lectio *quod* a manu emendatoris, qui interrogativum pronomen requireret, ita correcta est, ut in deterioribus codd. Mstis B.C.O. et in edd. Putt. forma *quid* scripta sit, quam Bekker et Ritter nuper prave revocarunt. Denique ex scriptura *quid*, litera *d* a sequenti absorpta, lectio codicis G. *qui* orta esse videtur. Placet ejusdem vitii exemplum e Persio afferre. In Sat. I, 24. codex poëtae Lugdunensis a v. cl. C. Fr. Hermanno litera C signatus cum Norimbergensi scholiastae Persiani scribit *quo didicisse*; cod. autem scholiastae Lugdunensis C. et poëtae ipsius codd. Puteaneus K. et Guelferbytanus B. a prima manu exhibent *quod didicisse*;

denique codd. Msti poetae plurimi et edita scholiastae exemplaria praebent *quid didicisse*, idque plerisque editoribus probatum est. At C. Fr. Hermannus in Disputatione altera de usu et auctoritate scholiorum in Persii satiris emendandis (Marburg. 1842.) p. 12. sqq. lectionem *quo didicisse* a Casaubono et Orellio probatam et sermonis legibus et externa optimorum illorum codd. auctoritate ab omni parte et in omne tempus tutam reddidit.

A. XVI, 20. extr. idem mendum statuo; cum Doederlino enim emendationem probo Acidalii sic scribentis: *Libertus Thermi quaedam de Tigellino criminose detulerat, quae cruciatibus tormentorum ipse, patronus ejus nece immerita luere. Trucidatis tot insignibus viris* etc. In codd. Mstis et omnibus editionibus legitur *lueret. Trucidatis* etc. Sed conjunctivo hic non est locus. Tacitus enim non refert, quae atrocia mente ac voluntate Tigellini in Thermum ejusque libertum fierent, sed quae revera facta sint, neque condicionem et rationem criminum, quae libertus in Tigellinum jecerit, describit. Accedit quod syllabae *ret* et *re* in codd. Mediceis saepius inter se confusae sunt. Sic A. VI, 2. extr. *suaderet* pro *suadere*. A. XI, 34. *cum obstreperet accusator* pro *cum obstrepere accusator*, ut H. III, 31. init. codd. C. R. ed. Spir. *cum languescerent paulatim Vitellianorum animi* pro *cum languescere p. V. a.* exhibent. A. XII, 49. *cum rediret in Syriam jubetur* pro *cum redire* etc. A. XV, 69. *occuparet* pro *occupare*. H. I, 64. extr. *iussi pecuniam atque arma deferret* pro *deferre*. H. IV, 13. *averteret .... et retentare ... jubebatur* pro *avertere .... et retentare .... jubebatur*. Contra A. XI, 1. extr. *promptum habere* pro *promptum haberet*. A. XII, 29. *componere* pro *componeret*. XIV, 58. *effugere* pro *effugeret*. Quin et terminationes *re* et *rent* hisce locis permutatae sunt: A. XIII, 50. extr. *congruere* pro *congruerent*, et c. 55. extr. *superfundere* pro *superfunderent* in cod. Ma. et ed. Spir. scribitur.

H. IV, 58. Walther et Kiesslingius lectionem cod. R. et ed. Spir. *sin ego displiceam* vulgatae *sane ego displiceam* jure praetulisse mihi videntur. Vulgatam ex scriptura archetypi *sine ego displiceam* originem traxisse puta.

Utrumque vitium conjunctum A. IV, 23. in lectione codicis deprehendes. Ibi enim scribitur *duces sub impetrando* pro vulgata

duces, *ubi impetrando*, altera litera duplicata, altera a sequenti absorpta. Item H. III, 52. init. in Ma. et ed. Spir. legitur *Appenini* pro *Apennini*.

De septimo vitiorum genere.

Saepe librarii codicum Mediceorum literas singulas aut omiserunt aut addiderunt. Et primum quidem exempla literarum omissarum afferam [28b]).

A. I, 13. in archetypo *aput* pro *caput* scriptum erat, unde ob antiquam scripturam praepositionis *apud*, quam teste Pichena etiam codex retinet, sinistra conjectura lectio codicis *aput te* orta esse videtur. C. 23. *facta vitae* pro *fracta vite*. C. 48. scriptura codicis *caenia* ex lectione *caeina* pro *Caecina* originem traxit. A. II, 25. *exemplo* pro *extemplo*. A. III, 63. *fiere aera* pro *figere aera*. A. IV, 33. *consciata* pro *consociata*. A. VI, 10. *familiarum* pro *familiarium*. A. XI, 3. *percusi* pro *percursis*. C. 23. init. *Vipsano* pro *Vipstano*. C. 26. init. *adulterorum* pro *adulteriorum*. C. 31. *impostum* pro *impositum*. A. XII, 26. *quaestiore* vel *questiore* pro *quaesitiore*. C. 40. lectio *evigantum civitate* orta est ex scriptura *ebigantum c.* pro *e Brigantum c.* C. 61. init. *argios vel cum* pro *Argivos vel Coeum*. C. 63. *quaestosi* pro *quaestuosi*. Ann. XIII, 14. lectio cod. Ma. *preces* orta ex scriptura *praeces* pro *praeceps*. C. 30. *Cestus*

28b) Sic Martial. I, 3, 12. optimus et antiquissimus codex Vindobonensis H. *fuge* habet pro vulgata *i, fuge*. Ibid. III, 68, 7. optimus quisque codex exhibet *perte* pro vulgata *aperte*. Tac. Agr. 32. init. in Msto codice Vatic. 4498. *contactum* pro *contractum* legitur, sicut Germ. 36. plerique codices et vett. edd. *tacti ruina Cheruscorum et Fosi* praebent pro scriptura *tracti ruina* etc., quam Walther exemplis bene illustravit, quibus addas: A. VI, 2. *tracti sunt in eundem casum* etc.; c. 26. *Agrippinae pernicies, quod vix credibile, Plancinam traxit*. Eadem lectionis varietas est apud Suet. Tib. 21. sub vv. *ambitione tractum*; ubi vide Oudendorpium. Contra Tac. Agr. 30. edd. vett. exhibent *a contractu dominationis* pro *a contactu dominationis*. Etiam in Servii codice Cassellano singulas literas a prima manu saepe omissas esse ego et v. cl. Bergkius vidimus.

pro *Cestius*. C. 35. *cultu evi* pro *cultu levi*. C. 57. *arentem* pro *ardentem*. A. XIV, 1. init. *Vipsano* pro *Vipstano*. C. 22. *qui et* pro *quieti*. C. 23. *faciem* pro *facilem*. C. 31. *facti* pro *fracti*. C. 39. *remigum* pro *remigium*. C. 58. *una haec* pro *vana haec* [29]. A. XV, 5. extr. *Tyranocertam* pro *Tigranocertam*. Cap. 13. *subjectis rei* pro *subjectis regi*. Cap. 25. lectio cod. Ma. *excutio* orta ex antiqua scriptura *executio* pro *exsecutio*. Cap. 68. *inima sodialitate* pro *intima sodalitate*. C. 71. *sin supplicio* pro *sine supplicio*. A. XVI, 10. *mulieri helulatu* pro *muliebri ejulatu*. H. I, 19. *crebioribus* pro *crebrioribus*. C. 66. *vetusta dignitasque coloniae* pro *vetustas dignitasque c*. C. 76. *Vipsani* pro *Vipstani*. H. II, 22. et V., 10. cod. Ma. exhibet *redire* pro *rediere*, sicut H. IV, 20. codd. Ma. H. *interire* pro *interiere*, H. III, 80. codd. G.H.O. *adire* pro *adiere* et H. V, 15. cod. B. *redire* pro *rediere* praebet. H. II, 100. *patui* pro *Patavi*. H. III, 9. *Vipsanus* pro *Vipstanus* et H. IV, 42. *Viptanus* pro *Vipstanus*. H. III, 42. *inracta* pro *infracta*. C. 52. *ex ventu* pro *ex eventu*. C. 68. *jurari* pro *ejurari*. C. 76. *pollinaris* pro *Apollinaris*. C. 83. *alii proelia* pro *alibi proelia*. H. IV, 20. *rumpunt* pro *erumpunt*. C. 25. *armai* pro *armari*. C. 69. *periuria* pro *per iurgia*. C. 70. *absessere* pro *abscessere*. C. 72. lectio codd. Ma. B. et ed. Spir. *consultatio* originem cepit ex scriptura *consulatatio* pro *consalutatio*. H. V, 10. *utilis* pro *utilius*. C. 25. lectio codd. Ma. B. *fures* ex corrupta scriptura *pures* pro *plures* orta esse videtur.

Jam vero sequuntur exempla literarum insuper additarum [29a]. A. I, 3. *dormires* pro *domi res*. C. 34. et H. III, 65. extr. *proprior* pro *propior*. A. I, 47. *subnixius* pro *subnixus*, ut A. IV, 66. *conixius* pro *connexus*. A. I, 64. *liberare* pro *librare*.

---

29) E contrario Mart. I, 68, 8. cod. Thuaneus *vana* pro *una* exhibet.

29a) Sic Varr. de L. L. p. 82. ed. Bip. VII. §. 11. ed. Muell. codd. F. G. H. habent *castris* pro *castis*, ut Martial. IX, 41, 6. codd. T. A. G. *Ilia castra* pro *Ilia casta*. In codice Vossiano R. Mart. VI, 34, 7. *exortata* pro *exorata* et X, 71, 2. *facta* pro *fata*, in cod. T. Mart. III, 75, 5. *pluras* pro *puras* et XI, 81, 4. *uterique* pro *utrique* legitur.

A. II, 11. lectio codicis *primilliarium* orta est ex archetypi scriptura *primiliarium* pro *primipilarium*. C. 79. *vibimus* pro *Vibius*. A. III, 26. *mortem* pro *morem*. C. 69. *Cythenum* pro *Cythnum*. A. IV, 13. extr. *lamina* pro *Lamia*. C. 32. *compossiuere* pro *composuere*; mox *immo ita* pro *immota*. C. 33. extr. *animis* pro *nimis*. C. 43. *Limenatidis* pro *Limnatidis*. C. 55. *dicta* pro *icta*. A. V, 3. *confringere* pro *confingere*. A. VI, 17. extr. *emitio* pro *emtio*. C. 29. *Sexitia* pro *Sextia*. C. 30. extr. *visitare* pro *vi stare*. A. XI, 31. *facientibus* originem traxit e scriptura *facentibus* pro *fatentibus*. C. 35. *vigilium* pro *vigilum*. A. XII, 62. *iecerant* pro *icerant*. A. XIII, 12. *facto quodam* pro *fato quodam*. C. 14. pr. et H. IV, 21. *arbitrium* pro *arbitrum*. A. XIV, 4. *allauitur* pro *alluitur*. C. 26. *pars Armenia eunt cuique* pro *pars Armeniae, ut cuique*. C. 35 *tot militum* pro *tot milium*. C. 58. init. *Plautio* pro *Plauto*. A. XV, 40. *proruptis* pro *prorutis*, ut H. I, 68. codd. B. G. *diruptis* pro *dirutis* et H. V, 9. cod. B. *dirupti* pro *diruti* exhibet. Cf. Drakenb. ad Liv. IV, 29. A. XV, 44. lectio *coniuncti* orta ex scriptura *coniucti* pro *conuicti*. C. 52. *hospitiales* pro *hospitales*. C. 53. *deae traxerat* pro *detraxerat*. C. 54. *aspernari* pro *asperari*. C. 68. *sodialitate* pro *sodalitate*. A. XVI, 10. init. lectio codd. Ma. G. *vincendo* orta ex scriptura archetypi *vinendo* pro *viuendo*. C. 18. *somnium* pro *somnum*; c. 24. *saepe* pro *spe*. A. XIV, 58. extr. *audienti*, A. XV, 53. *audientiae*, H. I, 3. *audientes*, c. 6. extr. *audienti*, c. 21. *audiendumque*, H. II, 78. init. *audientius* pro *audenti, audentiae, audentes, audendumque, audentius*. H. I, 31. *Amuelio Sereno* pro *Amulio Sereno*. C. 84. *multa et inania* pro *muta et inanima*, sicut A. XIV, 42. Ma. *multandum* pro *mutandum*, H. IV, 17. codd. G.R. *multis animalibus* pro *mutis a.* praebent [29b]. H. II, 34. *fluvitabant* pro *fluitabant*. H. III, 27. lectio codd. Ma. G. et edd. vett. *legiones* orta ex scriptura archetypi *legones* pro *ligones*. H. IV, 61. *fingendos* pro *figendos*.

29b) Idem mendum ap. Cic. de Fin. II, 29, 94. in deterioribus libris, et Tuscul. II, 14, 33. in omnibus codd. et edd. vett. sqq. ad Orellium usque reperitur. Is enim ex conjectura Bentleii *mutum* pro vulg. *multum* substituit.

De octavo vitiorum genere.

Porro singulas syllabas in codd. Mediceis omissas esse jam Jac. Gronovius ad H. IV, 53. annotavit, Nic. Heinsius ad A. V, 4. aliquot exemplis probavit. Sed quum hic exempla vocabulorum diversis ex causis mutilatorum promiscua congesserit ac ratio condicioque omissionis syllabarum varia sit, laborem cuncta ex ordine quodam disposita singulatim recensendi non inutilem fore arbitror [29c]). Primum mediae potissimum syllabae in codd. Medd. omissae sunt; cujus mendi exempla Ernestius ad A. II, 63, Walther ad A. I, 20, Doederlinus in Praef. p. XVIII. collegerunt [30]).

A. I, 72. *dictans* pro *dictitans*. II, 36. *auretur* pro *augeretur*; c. 38. *transmerei* pro *transmittere*; c. 63. *reditus* pro *rediturus*; c. 73. extr. *interpretantur* pro *interpretabantur*. III, 41. *C. Caelio* pro *C. Caecilio*; c. 83. *adseravit* pro *adseveravit*. IV, 13. *Carsius* pro *Carsidius*; c. 33. extr. *ancepto redeo* ortum ex *adincepta redeo*. C. 44. lectio cod. *degetes* originem traxit ex scriptura archetypi *de getis* pro *de Gaetulis*. C. 51. *sponte incorum* pro *sponte incolarum*. VI, 51. *indicitiam* pro *inpudicitiam*. XI, 12. extr. *apud alterum* pro *apud adulterum*. C. 22 *potus* pro *Potitus*. C. 31. lectio cod. Ma. *certium* ex scriptura *certim* (u superscr.) orta esse videtur. Etenim postquam syllaba *ta* omissa *certim* pro *certatim* scriptum erat, litera *u* a sciolo quodam lectore superscripta est, ut *certum* legeretur. C. 35. *Julius* pro *Vitellius*. XII, 50. *circumveunt* pro *circumveniunt*. C. 58. *vera* pro *vetera*. XIII, 30. *accusatibus* pro *accusatoribus*. C. 41. lectio cod. Ma. *consolatus* pro *consalutatus* ex mutila scriptura *consalatus* orta est. XIV, 26. lectio *pars nipulique* originem traxit ex

---

29c) Exempla e Graecis scriptoribus et oratoribus contulit Sauppius in §. 12. Epistolae criticae ad G. Hermannum a. 1841 missae.

30) Idem vitium in vett. Velleii libris reperitur, ut ed. pr. et apogr. Amerb. II, 10, 1. *Lepidum Aelium* pro *L. Aemilium*, c. 15, 1. *Servium* pro *Servilium*, c. 47, 3. *coertionem* pro *coercitionem*, c. 78, 1. *momentis* pro emendatione Ruhnkenii *molimentis*, c. 84, 2. *reges* pro *remiges* exhibent.

scriptura *pharasmani polemonique*, quum *pars Armeniae* proxime antecedat. C. 56. *libertas* ortum puto ex archetypi scriptura *liberatas* pro *liberalitas*. A. XV, 5. *legionem* pro *legationem*. C. 25. *pax inhosta* pro *pax inhonesta*. C. 44. extr. *circulo* ortum ex *curculo* pro *curriculo*. XVI, 8. *et etio* pro *et exitio*. H. I, 77. *honoris* pro *honoratis*. H. IV, 65. *sociatis* pro *societatis*.

Jure igitur Ritter et Rupertius H. II, 31. receperunt felicissimam Victorii et Pichenae emendationem Walthero probatam; hi enim conjecerant legendum esse *Vitellius ventre et gula sibi* **inhonestus**, *Otho luxu, saevitia, audacia rei publicae exitiosior ducebatur* pro scriptura cod. Ma. *inhostus* et ed. Spir. *inhostus*. Erat enim Vitellius mollitia corporis infamis, Otho ob graviora vitia periculosus. Ille suam famam dehonestabat, hic rempublicam in perniciem adducturus erat. Simillimo modo tum contraria tum diversa hisce locis sibi invicem opponuntur: A. II, 38. *sibi ignavi — nobis graves*. A. XII, 37. *praesens sors mea ut mihi informis, sic tibi magnifica est*. H. I, 5. extr. *Galbae vox pro re publica honesta, sibi anceps*. H. II, 76. *rei publicae utile — ipsis gloriosum*; ibid. *tam salutare rei publicae, quam tibi magnificum*. Quibus locis simul usus dativi *sibi* adjectivo *inhonestus* conjuncti illustratur [30a]).

Deinde syllabae tum ab iisdem vel similibus syllabis, tum ab iis, quae aut ab eadem litera incipiant, aut in eandem literam cadant, saepe absorptae sunt [31]). En exempla: A. I, 4. *dissere*

30a) Eiusdem vitii observatione nititur emendatio Jacobi, qui l. l. p. 2. H. II, 6. e lectione codd. *precibus*, *ut assolet*, *nuntiis* elicuit *perniciibus*, *u. a.*, *nuntiis*. Cf. H. III, 40. *pernicibus nuntiis*. Omissa syllaba *ni*, *percibus* in *precibus* mutatum fuit. Vulgatur *praecipitibus u. a. nuntiis* ex emendatione Beroaldi, quam tueri licet hoc loco: H. II, 41. *praecipites exploratores adesse hostem nuntiavere*. Tum duas syllabas *piti* omissas statues.

31) Sic Martial. VI, 34, 8. optimus et antiquissimus cod. Voss. R. pro *pauca capit* a pr. m. habet *paucapit*. Epigr. III, 3, 4. optimus cod. Thuaneus exhibet *tunica* pro *tunicata* et IX, 41, 10. *digis* pro *digitis*. Epigr. VII, 12, 9. in codd. X.A.G. legitur *innocuis* pro *innocui scis*. Epigr. X, 73, 2. in codd. X. A. et in libro Excerptorum a Scriverio laudato *sera* pro *severa* scriptum est. Epigr. XIII, 77, 2. cod. Thuaneus pro vulgata *cantator* praebet *cantor*

pro *disserere*; c. 13. *quam Tiberio* pro *quamquam Tiberio*; c. 58. *invi sunt* pro *invisi sunt*; c. 72. *dictans* pro *dictitans*. A. II,

---

adversante metro. Exempla e vett. Velleii libris collecta vide in Kritzii Prolegg. p. CVII. sqq. Simili modo apud Cic. pr. Rosc. Amer. 28, 76. lectio codicum vulgata *arcessivit aliquem: at quando?* orta est ex genuina scriptura *arcessivit aliquem: quem aut quando?* quam Priscianus p. 902. ed. Putsch. servavit, Garatonius Wernsdorfius aliique probarunt. — Liv. XXIII, 48. extr. Gronovius pro vulgata lectione *haec praetor in concione edixit, qua die vestimenta, frumentum Hispaniensi exercitui praebenda . . . . . esset locaturus* legendum coniecit *haec praetor in concione* (sc. *locutus est*); *edixitque, qua die* etc. Verbum *edixit* enim ad sequentia tantum, non ad praecedentia referri potest. Similiter Tac. H. V, 25. *haec vulgus;* Curt. VII, 8. extr. *haec barbarus.*— Liv. XXI, 10. suspicor rescribendum esse *Aegates insulas Erycemque ante oculos proponite, quaeque terra marique per quattuor et viginti annos passi sitis* pro vulgata *quae terra marique* etc. Cf. eiusdem structurae exempla apud Tacitum: A. I, 12 *Tiberium victoriarum suarum, quaeque in toga per tot annos egregie fecisset, admonuit.* A. II, 33. *neque in familia et argento, quaeque in usum parentur, nimium aliquid aut modicum nisi ex fortuna possidentis.* C. 41. *triumphavit de Cheruscis Cattisque et Angrivariis, quaeque aliae nationes usque ad Albim colunt.* C. 54. *Adito Ilio, quaeque ibi . . . . . veneranda.* C. 74. init. *consultatum inde inter legatos, quique alii senatorum aderant.* A. III, 43. *cum venabulis et cultris, quaeque alia venantibus tela sunt.* C. 45. *memorare veteres Gallorum glorias, quaeque Romanis adversa intulissent.* XI, 3. *percursis Asiatici in rem publicam officiis recentique adversus Britanniam militia, quaeque alia conciliandae misericordiae videbantur.* XII, 62. *piratico bello adiutum Antonium memorabant, quaeque Sullae aut Lucullo aut Pompeio obtulissent.* H. I, 23. *inserendo saepius querelas et ambiguos de Galba sermones, quaeque alia turbamenta vulgi.* C. 53. extr. *Treveri ac Lingones, quasque alias civitates . . . . Galba perculerat.* C. 63. extr. *stratis per vias feminis puerisque, quaeque alia placamenta hostilis irae . . . . tendebantur.* H. II, 4. init. *Titus spectata opulentia donisque regum, quaeque alia laetum antiquitatibus Graecorum genus incertae vetustati affingit, de navigatione primum consuluit.* H. III, 54. *perpulit, ut ad vires hostium spectandas, quaeque apud Cremonam acta forent, ipse mitteretur.* — Contra Stuerenburgius in Commentatione de particula **haut** editioni librorum Cic. de Off. adjecta lectionem cod. Med. in Cic. Epp. ad Atticum VII, 15, 2.

63. *reditus* pro *rediturus*; c. 73. extr. *interpretantur* pro *interpretabantur*. A. III, 52. lectio cod. *remedii isti* originem traxit ex corrupta archetypi scriptura *remedi isti* pro *remediis sisti.* C. 54. *sibi que* pro *sibi quisque*; c. 83. *adseravit* pro *adseveravit*. A. IV, 55. *divise* pro *divisisse*. A. VI, 2. *tam* pro *tamquam*; c. 33. *effunt* pro *effundunt*. A. XI, 22. *potus* pro *Potitus*; c. 58. *vera* pro *vetera* [31a]). A. XII, 32. init. lectio codd. Mstorum *ductus inde Cangos exercitus* ex scriptura archetypi *ductus in̄* (i. e. *inde*) *in Cangos exercitus* orta est, sicut c. 16. in codd. R. V. 1863. et ed. Spir. *exin Siracos* pro vulgata *exin in Siracos* scribitur. Librarios etiam aliis locis *inde* vel *in* pro *in̄ in* i.e. *inde in* dedisse testatur Ernestius ad h. l., qui Burmanni notam ad Suet. Caes. 35. et Vesp. 5. conferri jubet. Ceterum cf. A. XII, 33. init. *itum inde in Siluras.* — A. XII, 67. init. lectio cod. Ma. *cibo leto* orta ex scriptura archetypi *cibo boleto* pro genuina *cibo boletorum*. A. XIII, 19. *conjugioque ejus etiam perio* pro *conjugioque ejus etiam imperio*. C. 45. *Rufi Crispi* pro *Rufi Crispini*. A. XIV, 7. *discrimine* pro *discrimine, ne*; c. 20. *institum* pro *institutum*; c. 35. *detrectam* pro *detrectatam*; c. 36. pr. *quam* pro *quam-*

---

uni Favonio leges ab illo nobis imponi non placebat, sed is auditus in consilio adversus vulgatam *sed is haud auditus in consilio* tueri frustra conatus est, utpote falsae de vi particulae *haud* opinioni confisus. Eum enim locum male ita interpretatus est: jedoch man that in der Versammlung weiter nichts, als ihn anhören, quum tamen loci sententiam germanice reddamus his verbis: aber er wurde gar nicht gehört.

31a) Similiter scholion Donati ad Ter. Hec. IV, 4, 43. corruptum puto. Vulgata enim huius scholii scriptura *in veris codicibus* sqq. ita orta esse mihi videtur, ut, quum omissa syllaba *te* pro genuino vocabulo *veteribus* in archetypo *veribus* scriptum fuisset, vox inanis *veribus* rursum in *veris* depravaretur, mutata scilicet terminatione. Hanc emendationem, qua *in veteribus codicibus* pro *in veris c.* restituatur, leniorem commodioremque duces, quam quae a Koenighoffio nuper proposita est. Is enim in scriptione scholastica Aquisgrani a. 1840 edita coniecit *in vetustis codicibus* legendum esse; v. appendicem Diariorum antiq. litt., qui inscribitur Gymnasial-Zeitung, a. 1841 no. 12 p. 90. Vocabulum *veris* haud dubie falsum est; nemo enim codices unquam dixerit veros, sed genuinos, integros, optimos.

quam; c. 53. *mytelense* pro *Mytilenense*. A. XV, 2. *integro* pro *in integro* et H. II, 33 extr. *incerto* pro *in incerto*, ut in cod. G. A. XV, 17. et c. 36. ter scribitur *incerto* pro *in incerto*. A. XV, 5. cod. Ma. habet *aberat* pro *ābederat* i. e. *ambederat*; c. 19. *pravissimos* pro *pravissimus mos*. C. 26. extr. lectionem cod. Ma. *adversa inscitiam Paeti declinans* vulgatae *a. in inscitiam P. d.* a Doederlino, qui comma, ut asyndeti signum, post *adversa* poni jubet, praeferri miror. Tum *declinare* idem esset, quod *vitare*, ut A. VI, 51. XIII, 4. H. IV, 41. At Corbulo, etiam si res a Paeto partim adversa fortuna partim inscitia male gestas reticuisse et vitasse cogitaretur, tamen non erat is, qui inscitiam Paeti aemuli silentio praeteriret et quasi velis obtegeret, sed qui vel adversos casus in Paeti inscitiam declinaret. Cf. locum simillimum Sallustii apud Nonium IV. p. 385. ed. Merc. *adversa in pravitatem, secunda in casum, fortunam* [31b]) *in temeritatem declinando*. — A. XVI, 7. *ac memoria tantum infensi nominis ad discordias uteretur* pro *ac ne memoria* etc. C. 19. *quam* pro *quamquam*. H. I, 41. *prodere* pro *prodidere*; c. 83. *cupidite* pro *cupiditate*. H. II, 1. *decoris* legitur in codd. Mstis B.R. et ed Spir. pro *decor oris*. C. 37. *praecipuas Paullini* pro *praecipua spe Paullini*. C. 52. *intempesti honore* pro *intempestivo honore*. C. 68. init. *numerus* pro *ni numerus*. C. 74. *praefectus Aegypti Alexander* pro *praefectus Aegypti Ti. Alexander*. C. 76. *splendiori origine* pro *splendidior o.* C. 95. *subdere* pro *subdidere*. H. III, 9. *Hostiam* pro *Hostiliam*. H. III, 50. *regebat omniaque, quae agenda forent, quieta cum industria aderat* pro *regebat at* (i. e. *ad*) *omniaque* etc. C. 66. *securitatem nisi extincto emulatore dituram* pro *s. n. e. aemulatore redituram*. H. IV, 4. formam *respere* pro *respexere*, quae in cod. Ma. legitur, in archetypo quoque scriptam fuisse e codicum varietate lectionis colligo, quum familia Genuensis vulgatam *respexere*, Romana autem

---

31b) Malim cum viro docto ap. Mercer. *fortunam* in *fortia* mutare, coll. Quintil. X, 2, 16. *plerumque declinant in peius et proxima virtutibus vitia comprehendunt, fiuntque pro gravibus tumidi, pressis exiles, fortibus temerarii* sqq.

respicere habeat, utraque scilicet ex coniectura. C. 33. libri familiae Romanae praebent *is error addit animos* pro vulgata *is error Romanis addit animos.* Mendum originem ex scriptura *error rom.* i. e. *error Romanis* cepit [32]. C. 41. *destit* pro *de-*

32) Jacobus l. l. II, p. 23. sq. lectionem familiae Genuensis *Romanis* glossema esse putat, quia nemini nisi Romanis animus addi potuerit. Sane si quis c. 33. ad finem usque perlegerit et pugnae viam ac processum exsequatur et totius narrationis dispositionem reputet, fieri non potest, quin cernat, non Germanis, sed Romanis repentino Vasconum incursu animum additum fuisse. At eloquentissimi scriptoris oratio non ea est, quae lectores, sententiam ut coniectura assequantur, cogat, sed quae verbis id exprimat, quod scriptor ipse mente concepit. Universe facile observaveris, doctos viros brevitate, quam Tacitum studiose sectari dicunt, nonnunquam temere atque immodice abuti, quo locis depravatis sanorum nomina imponant. Neque cum Jacobo crediderim esse, quod proximis verbis *intentos hostis a tergo invadunt latioremque, quam pro numero,* t e r r o r e m f a c i u n t vocabulum *hostibus* ante *faciunt* addatur. Etenim quum accusativus *hostis* a verbo invadendi pendens in eadem enuntiatione proxime praecedat, nemo est, quin dativum *hostibus* ad verba *terrorem faciunt* inde mente suppleat. At ubi oratio ab h o s t i u m terrore ad animos R o m a n o r u m describendos procedit, h o r u m mentio fiat necesse est, quum praesertim ad proximum verbum *recepere* subiectum, quod dicitur, desiderares. An in verbis Plauti Amphitr. I, 1, 94. non offenderes, si poëta dixisset *p e r d u e l l e s penetrant se in fugam: ibi animus additus est* pro vera scriptura *ibi n o s t r i s animus additus est*? Eadem vero huius loci est ratio. Requirit et verbum addendi dativum, ad quem referatur: neque enim absolute ponitur, nisi ex praecedenti nomine dativus facile subauditur. Cf. A. IV, 51. *i l l i s extrema jam salus et assistentes plerisque matres et conjuges earumque lamenta a d d u n t a n i m o s;* VI, 27. *genus i l l i decorum, vivida senectus et non permissa provincia dignationem a d d i d e r a t.* Quos locos Walther ad H. III, 6. falso attulit ut exempla omissi apud verbum addendi dativi. Cf. praeterea A. XII, 36. *Caesar, dum suum decus extollit, a d d i d i t gloriam v i c t o.* H. I, 76. init. *primus O t h o n i fiduciam a d d i d i t ex Illyrico nuntius.* H. II, 4. extr. *quantum i l l i s roboris discrimina et labor, tantum h i s vigoris a d d i d e r a t integra quies;* c. 31. *a d d i d e r a t h u i c terrorem atque odium caedes Galbae.* Erravit et in eo Jacobus, quod Tacitum, si nomen addere voluisset, *nostris*, non *Romanis* dicturum

stitit. C. 45. *Cyrensibus* pro *Cyrenensibus*; c. 48. *supra petiero* pro *supra repetiero.* C. 49. *cedisse* pro *cecidisse.* H. V, 26. *in Pania* pro *in Pannonia.*

Bene igitur Bezzenberger l. l. p. 20. A. III, 62. conjecit legendum esse *exin Cyprii tribus de delubris* (scil. *exposuere*, ut paulo ante scribitur). Vulgatur enim e cod. *tribus delubris.* Idem l. l. p. 25. rescripsit A. IV, 45. extr. *sed Piso Termestinorum dolo caesus habetur: quippe pecunias e publico interceptas acrius, quam ut tolerarent barbari, cogebat* pro vulgata codicis lectione *qui pecunias* etc., quam Pichena et Doederlinus in *quia pecunias* etc. corrigi volunt. Et sane hisce verbis Tacitus, quae causa caedis fuerit, indicare videtur. Ceterum frequens est apud Tacitum usus particulae *quippe*, ubi causa et ratio alicujus rei annectitur. Cf. A. I, 13. *quippe Augustus* etc.; c. 57. *quippe anno* etc. A. III, 2. extr. *aberat quippe adulatio.* A. IV, 1 *quippe iisdem artibus victus est*; c. 41. *multa quippe providebat*; c. 74. *quippe Romae sueti discursus* etc. A. XI, 25. *quippe promiscuum patris patriae cognomentum.* A. XII, 63. *quippe Byzantium* etc. A. XIII, 1. *quippe et Silanus D. Augusti abnepos erat;* c. 35. init. *quippe Syria transmotae legiones* etc.; c. eod. extr. *quippe pauciores illa castra deseruere.* A. XV, 51. extr. *accita quippe Epicharis* etc. H. II, 10. extr. *quippe ipsum Crispum* etc. H. IV, 36. *quippe omnem pudorem nox ademerat.* H. V, 5. extr. *quippe Liber festos laetosque ritus posuit.*

---

fuisse opinatur; illic tantum, ubi dicentes hostes inducantur, Romanos vocari a scriptore. At obstant huic sententiae ob nimium studium lectionis *Romanis* refellendae fictae haec exempla, quae facile auxeris: A. II, 18. *in Romanos;* c. 88. *abscedentibus Romanis;* A. IV, 51. *Romani;* A. XIV, 26. *datum a Romanis regem;* H. IV, 29. init. *Romani;* c. 79. *pro Romanis.* Cf. etiam locum huic simillimum Agr. 26. *Romanis redit animus.* Similiter dicuntur A. II, 17. *auxilia Romana;* c. 19. *agmen Romanum;* c. 52. *Romanum in modum armatos;* IV, 47. et VI, 44. *dux Romanus;* XII, 40. *Romanis armis;* XV, 29. extr. *exercituum Romanorum caedes;* H. I, 79 et IV, 29 *Romanus miles.*

A. XI, 7. emendationem, quam Bezzenberger in Observationibus Tacitinis Dresd. a. 1840. editis p. 30. proposuit, *se modicos senatores, qui quieta republica nulla nisi pacis emolumenta peterent* praeferam et scripturae codicum Mstorum a Walthero, Bachio, Rupertio revocatae *se m. s., qui et a republica .... peterent* et vulgatae lectioni *se m. s. quieta republica .... petere*, quam Bekker et Ritter retinuerunt, et Doederlini conjecturae, qui transpositis vocabulis rescribi vult *se m. s. et qui a republica .... peterent*, quamquam ipse ingeniosissimam Pichenae commentum *quieta republica* aegre se aspernari fatetur, ut Bezzenberger quidem refert. Et sane quietam sub Claudio rempublicam Suillius et Cossutianus apte comparare videntur cum turbidis rebus et bellis civilibus externisque, quae Antonii et Augusti temporibus rempublicam conflictaverant atque perculerant [33]. Tum enim ex praeda belli immensas opes sibi parare Asinio et Messalae licuerat. Sed — ut utar verbis Taciti, quae H. I, 89. leguntur — sub Tiberio et Gaio et Claudio tantum pacis adversa reipublicae periti timuere [33a]. Quieta igitur respublica et pacis emolumenta, quae Suillius et Cossutianus petebant, cum bellis eorumque praemiis, quae Asinius et Messala petiverant, contenduntur. Modici autem senatores non solum heredibus ditium familiarum, ut Aeserniuo et Arruntio — id quod Walther et Doederlinus putant — sed etiam summis viris opponuntur, qui bellorum civilium atque externorum praemiis rem suam auxerint. Dites illos heredes et homines civium atque hostium spoliis refertos facile magnum animum induisse, ut famam et posteros, praemia eloquentiae cogitavissent pulcherrima: sed modicos senatores propterea non reprehendendos esse, quod, quum omissis curis familiaribus aliena negotia susciperent, pecuniam

33) Similiter vetera et praesentia a Galba contenduntur H. I, 15. hisce verbis: *Principatum, de quo majores nostri armis certabant, bello adeptus quiescenti offero* sqq.; ubi quiescens Piso iis opponitur, qui armis ac vi principatum petiverant.

33a) Ita enim Bezzenberger in Emendationum delectu p. 43. locum illum foede corruptum, quo critici magnopere exerciti fuerunt, evidenter simul et leniter emendavit, quum ex codd. G. H. Oa. et edd. vett. Bekker, Bachius, Rupertius, Kiesslinguis *reipublicae pertimuere* scripsissent.

atque dona acciperent. Itaque non est, quod defensionem Suillii ceterorumque in duo momenta tam subtiliter cum Walthero ac Doederlino discernas, ut particulam *et* aut ante voc. *a republica* cum Walthero, aut ante relativum pronomen *qui* cum Doederlino putes desiderari. Ceterum contra Waltheri lectionem *qui et a. rep.* Doederlinus recte monuit, abundare *et* ante voc. *a republica.* Tum enim respublica aliis quibusdam opponeretur, a quibus et ipsis pacis emolumenta peterentur. Quin immo non a republica, sed a privatis hominibus et reis quidem pecunia aut dona et petebant et accipiebant Suillius et qui alii illorum erant partium. Neque vero formula *a republica* omnino ab hoc loco non aliena esse mihi videtur: quippe intempestivum esset Suillium ejusque socios commemorare, a republica id est a Caesare ac Senatu se petere, ut ob causam orandam pecuniam aut dona acciperent. Hoc per se constabat, jus concedendi aut denegandi penes principem senatumque esse. Dicitur *petere* absolute, sicut A. III, 47. *ut jam senior peregrinationis suburbanae inane praemium peteret.* A. XI, 22. *magistratus petere.* H. II, 75. *praemium petere.* Plin. Epp. VIII, 6, 16. *inveniebantur tamen honesto loco nati, qui peterent cuperentque, quod dari liberto, promitti servis videbant.* Quae contra Doederlini transpositionem vocabulorum *et qui a republica . . . . peterent* dicta esse, vix est quod moneam. Quieta dicitur respublica, ut ap. Vell. II, 49, 1. Cf. etiam A. II, 63. et Agr. 40. *quieta provincia*; H. II, 97. *nunquam satis quieta Britannia.* Ceterum fallitur Doederlinus, dum A. XV, 42. idem mendum particula copulativa et relativo pronomine transpositis a Rhenano sublatum esse dicit. Neque enim illo capite tale quidquam reperitur, et A. XV, 41. intulit potius tale vitium Tacito Rhenanus. Mutavit enim scripturam codd. Ma.G.H.O.Oa. et edd. vett. *et quo Senones* sqq. in deteriorem lectionem *quo et Senones* sqq., quae deinde per omnes editiones praeter Bachianam et Rupertianam vulgata est. Ipse Doederlinus cum Ursino et Walthero lectionem codicum Mstorum probavit hunc in modum recte explicans: *idem dies principium hujus incendii fuit et illius, quo Senones* etc. Eadem structura recurrit A. II, 28. pr. *ut satis testium, et qui servi eadem noscerent, repperit.* A. VI, 44. *aucti copiis socialibus, et quas dux Romanus misisset.* A. XV, 25. *scribitur*

tetrarchis ac regibus praefectisque et procuratoribus, *et qui praetorum finitimas provincias regebant.*

Porro ad hoc vitium referenda videtur scriptura codd. et vett. edd. A. XII, 63. *vis piscium in metapontum erumpens*, quam Lipsius in lectionem *vis piscium innumera Pontum erumpens* mutavit. Quod ad confusionem literarum *r* et *t*, qua praeterea Lipsii conjectura nititur, attinet, vide quae infra de duodecimo vitiorum genere dicam. Ceterum Lipsii emendatio, quam omnes fere editores inde a J. Fr. Gronovio receperunt, nisi quod Broterius, Oberlinus, Kiesslingius, Bekker *Ponto* scripserunt, novissimis editoribus Rittero et Bachio non propterea spernenda erat, quod *vis* h. l. copia s. numerus esset, itaque vix dici posset *vis innumera*. Dixit enim Tacitus supra c. 29. *vis innumera Ligii*, Cicero Harusp. resp. 11. *vis innumerabilis*. Similiter legitur apud Tac. A. XII, 56. *multitudo innumera*. Aequo tamen latinitatis jure et Tacitino sermone fulcitur Ritteri conjectura *vis piscium immensa*, quam Bachius in Addendis Vol. II. p. LXVIII, Rupertius, Doederlinus probarunt. Cf. A. IV, 62. *immensa vis mortalium*. Tum lectio codd. *in metapontum* ex archetypi scriptura *inmēsa pontum* orta est. Praepositionem *in* ante literam *m* in archetypo interdum non assimilatam fuisse quamvis raris codicis Ma. exemplis probatur. Sic A. XV, 23. cod. Ma. exhibet *inmodicus* et *inmoto*, H. IV, 34. extr. *inmanem*.

A. XIII, 48. Walther e lectione cod. Ma. et ed. Spir. *eaque seditio ad saxa, ad minas ignium progressu necem et arma proliceret* elicuit *ne necem* etc.; quam emendationem sensus poscit, Doederlinus probavit, Bachius in textum recepit. Vulgatur e cod. G. et edd. Put. *cumque seditio . . . . . . progressa necem* etc.

A. XIV, 9. Ernestius e scriptura codd. familiae Romanae *Mnester ipse ferro transegit* optime conjecit legendum esse *Mnester ipse se ferro transegit* pro vulgata lectione *ipse ferro se transegit*. Ernestii conjecturam a Walthero probatam in textum recepit Bachius.

H. I, 78. idem vir doctus e scriptura cod. Ma. et edd. Put. a Bekkero, Rittero, Kiesslingio revocata *nova jura Cappadociae, nova Africae* (scil. *dedit Otho*) *ostenta magis quam mansura* elicuit *ostentata*. Similiter Virg. A. VI, 870. *ostendent terris*

hunc tantum fata, neque ultra esse sinent. In vulgata ante Bekkerum lectione *ostentui magis quam mansura,* quam Rhenanus e codd. B.C.G.R. et ed. Spir. induxerat, diversus inest sensus et, ut mihi quidem videtur, alienus ab hoc loco. Non enim ad ostentationem et jactationem [34]) nova jura, et quae mox rursus detraheret, Cappadociae atque Africae Otho videtur dedisse; sed ut nova illa jura provinciis magis ostentata et destinata, quam revera aut in aeternum exercita fuissent, id temporum injuria et fati iniquitate factum esse Tacitus innuit. Quippe Othoni expeditius fuit imperium adipisci quam obtinere; et civili bello victi domini decreta cum imperio ipsius simul tolluntur ac pervertuntur. Ceterum *jura mansura* sunt *jura ad manendum* (scil. *a fato*) *destinata*, sicut *moriturus* is est, qui morti destinatus sit. Cf. Hor. Od. II, 3, 4. *moriture Delli;* Ibid. I, 28, 4. sqq. *nec quidquam tibi prodest aerias tentasse domos animoque rotundum percurrisse polum morituro;* Juven. Sat. I, 18. *periturae parcere chartae.*

H. II, 77. Kiesslingius vestigia codd. Matorum secutus, qui *tuos exercitus rege, mihi bellum et proeliorum incerta trade* exhibent, rescribi vult *tu tuos exercitus rege, mihi* sqq. pro vulgata per omnes fere editiones lectione *tu hos e. r.* sqq. Bachius et Rupertius scripturam codicum receperunt, sed pronomen *tu* ob oppositum *mihi* necessarium est. Contra verba *tuos exercitus* eximiam reverentiae atque adulationis speciem praeferunt, quasi Vespasianus dominus exercituum esset. Similiter Martialis VIII, 11, 1. sqq. Domitianum alloquitur hisce verbis:

Pervenisse tuam jam te scit Rhenus in urbem;
Nam populi voces audit et ille tui.

---

34) Hanc enim vocis *ostentui* vim fore, facile est intellectu ex hisce locis a Rhenano jam allatis: A. I, 29. extr. *alii* (scil. *tradunt*) *corpora extra vallum abjecta ostentui.* A. XII, 14. *Meherdaten auribus decisis vivere jubet ostentui clementiae suae et in nos dehonestamento.* A. XV, 29. extr. *iturum Tiridaten ostentui gentibus, quanto nimus quam captivum?* H. III, 35. *in Britanniam inde et Hispanias nuntios famamque, in Galliam J. Calenum tribunum, in Germaniam Alpinium Montanum praefectum cohortis, quod hic Trevir, Calenus Aeduus, uterque Vitelliani fuerant, ostentui misere.*

In eodem cap. extr. Bekker, Ritter, Bachius, Rupertius, Kiesslingius male repetiverunt vitium codicis Ma. et editionis Spir., in quibus pro vulgata lectione *s e t e t meliorem in bello causam, quam in pace habemus*; *nam qui deliberant, desciverunt* scribitur *s e t meliorem* etc. Etenim postquam Mucianus summam victoriae fiduciam tam in Vitellii vitiis, quam in Vespasiani virtutibus sibi positam esse dixit, n o v u m argumentum, et quo bellum quam pacem suaderet, addit. Quippe in defectionis consilio periculosius esse deprehendi, quam audere. Contra sola conjunctio *sed* hic nulli rei est. Cf. c. 76. *An excidit trucidatus Corbulo? splendidior origine, quam nos sumus, fateor: s e d e t Nero nobilitate natalium Vitellium anteibat.* Idem mendum admissum in codice rescripto Gaii I. §. 61. §. 106. III. §. 170. §. 198. IV. §. 151. et in cod. Gudiano Apuleji de nota aspir. §. 3. init. p. 88. ed Osann.

Denique tum singulae syllabae initiales vel finales, tum monosyllabae voces, imprimis praepositiones, nulla manifesta causa interdum omissae integritatem orationis laeserunt [35]). Prompta hujus vitii sunt exempla. A. III, 14. *pessimo cui* pro *pessimo cuique.* C. 31. in archetypo *e aetate* pro vulgata *ea aetate* scriptum fuisse ex exemplis quinti vitiorum generis supra allatis verisimillimum est. Tum librarius cod. M. praepositionem *e*, cui sane nullus locus est, omisit. Idem accidit c. 53. ubi codex *republica* exhibet pro *e republica.* — A. IV, 30. codex et vett. edd. exhibent *Gallus Asinius Gyaro*

---

35) Vocabula initio trunca, quae in vett. Velleii libris reperiuntur, in conspectum dedit Kritzius in novissima Velleii editione eaque optima Prolegg. p. CIX. Particulas monosyllabas in iisdem illis libris omissas vide ibid. p. ClX. sqq. Eiusmodi medicinam loco Nonii foede corrupto nuperrime adhibuit Osannus in comment. gramm. de pronominis tertiae personae *is*, *ea*, *id* formis p. 9. Quum enim apud Nonium s. v. spurcum p. 393. ed. Merc. versus Lucilii a codicibus, quos nuper Rothius et Gerlachius perperam secuti sunt, sic exhibeatur: *Aeserninus fuit Flaccorum u n a e quidam*, vir doctus felicius certe ex inani verbo *unae* elicuit *s a n g u i n e*, quam Turnebus vulgatum *m u n e r e*, quod ab hoc loco alienum est. Omissa syllaba *sang*, literae *uine* abierunt in *une* vel *unae*.

aut Donusa claudendum censeret, id quoque aspernatus est (scil. *Caesar*), omissa conjunctione *cum*, quam recentiores editores inde ab Oberlino ante voc. *censeret* inseruerunt, exemplis connisi hisce: A. I, 63. *Silvas tum Arminius implevit compendiis viarum et cito agmine onustum sarcinis armisque militem* c u m *anteveniisset.* C. 13. *Quippe Augustus supremis sermonibus cum tractaret, quinam* etc. A. IV, 75. *Ceterum Tiberius neptem Aggrippinam Germanico ortam* c u m *coram Cn. Domitio tradidisset, in urbe celebrari nuptias jussit.* — A. IV, 30. extr. ex certa Bekkeri conjectura recentissimae editiones praebent *sic delatores, genus hominum publico exitio repertum et* n e *poenis quidem unquam satis coercitum, per praemia eliciebantur,* quum in cod. particula *ne* ante *poenis* omissa sit. Vulgabatur antea inde a Beroaldo *et poenis quidem nunquam* etc. — A. IV, 37. extr. *sacra* in cod. scribitur pro *sacrari*; c. 59. *mare amundanum inter fundanos montes* pro *mare Amuclanum inter Fundanos*q u e *montes.* A. VI, 2. *in figies* pro *in effigies*; c. 45. *pro ingenio cuius* pro *pro ingenio cuiusq*u e. A. XII, 25. *optio* pro *adoptio*; mox *oratione eundem quem a liberto acceperat modum* pro *oratione* i n *eundem* sqq. C. 51. *ita* pro *Italia.* C. 67. *cibo leto* pro *cibo boletorum* A. XIII, 7. *iocchum* pro *Antiochum*; c. 9. *illi recentem gloriam* pro *illi* o b *recentem gloriam*; c. 13. *seque nece* pro *seque Senecae.* C. 56. lectio codd. Ma.B. (a pr. m.) G.H.O. *deesse nobis terram vivam, in qua moriamur, non potest* ex scriptura archetypi *deesse nobis terram* q u a *vivam*ꝰ (i. e. *vivamus*), *in qua moriamur, non potest* orta esse videtur. Recte igitur ex conjectura librarii cod. A. et Rhenani hodie scribitur *deesse nobis terra, in qua vivamus: in qua moriamur, non potest.* De terminatione *us* per compendium ꝫ vel ꝰ vel ; in cod. Ma. scripta conferas, quae infra de tertio decimo vitiorum genere disseram. Silligius in Diariis literar. Jenens. a. 1834. no. 213. et Doederlinus locum mutilum ita explendum censent, ut legatur: *terra, ubi vivamus.* Et reperitur sane similis orationis varietas in scriptis Taciti. Cf. A. XIII, 54. *Dum consessum caveae, discrimina ordinum,* q u i s *eques,* u b i *senatus* (scil. *sederet*), *percunctantur.* H. III, 24. *Illos esse campos,* i n q u i b u s *abolere labem prioris ignominiae,* u b i *reciperare gloriam possent.* Neque tamen his locis c o n-

traria inter se conferuntur; ita his ipsis exemplis et ratione grammatica consideratis eo adducor, ut Tacitum, si, quamvis contraria contenderet, structuram variare voluisset, potius in priore membro relativum pronomen *in qua*, adverbium *ubi* in posteriore positurum fuisse putem. Ceterum Doederlinus falso attulit locum ex H. III, 50., quo lectori persuaderet facile ex genuina scriptura *ubi vivamus*, primo *vi vivams*, dein *vivam* oriri potuisse. Quod quidem non ita multum difficultatis habuit; sed illo Historiarum loco Bachius ex felicissima Schneideri conjectura scripsit *profugus altaribus taurus disjecto sacrificii apparatu longe, nec ut feriri hostias mos est, confossus* pro vulgata lectione *nec ubi feriri* etc., quam Victorius et Lipsius ex scriptura codd. Ma.A.V. *nec ui* vel *ne cui* elicuerant. — A. XIV, 18. extr. cod. Ma. exhibet *ne probata Strabonis sententia* pro vulgata *Nero probata* sqq. C. 27. *nullo nobis remedio* pro *nullo a nobis remedio.* C. 43. *converterentur deterius* pro *converterentur in deterius.* C. 53. lectio codd. Ma.R. et ed. Spir. *cura* orta est scriptura archetypi *cora* pro *decora.* C. 54. init. cod. Ma. omittit pronomen *tu* inter vocabula *et atque quantum.* A. XV, 2. *exturba* pro *exturbari.* XVI, 8. *tullinus* pro *Tertullinus*; c. 21. *cum de Agrippina ferretur* pro *c. d. A. referretur;* c. 22. *legiones* pro *religiones.* C. 23. et 30. *torius savinus* pro *Ostorius Sabinus.* H. I, 1. *inter fensos* pro *inter infensos;* c. 45. *supplicium expostulabant* pro *ad supplicium e.*; c. 52. *bius valens* pro *Fabius Valens.* H. II, 36. praepositio *ad* ante *exitium* omissa est; c. 80. *adsistent* pro *adsistentes.* H. III, 25. Bachius, Rupertius, Kiesslingius magno sensus damno lectionem codd. Mstorum et edd. vett. *pulsos* revocarunt; spreta optima Bipontinorum editorum emendatione *impulsos.* Tunc enim Vitellianorum acies nondum pulsa, sed labefacta tantum et concussa erat, id quod Antonius, vir militaris, sensit. Et dicitur *impellere* proprie de tali aciei condicione; quod multae pugnarum descriptiones apud scriptores rerum Romanarum, Livium potissimum ac Tacitum, declarant. C. 55. *ternis* pro *externis;* c. 74. *clamore proximis orto* pro *clamore a proximis orto.* H. IV, 42. pr. *accusatio* pro *accusationem.* H. V, 8. in codd. Ma.F.R.V. scriptum est *deingia* vel *denigia* vel *demgia* pro vulgata ex Merceri emendatione lectione *dein regia.* — Particula *ut* excidit in Mediceis

codd. Ann. IV, 14. extr. ante *auctoritate*, Ann. XIV, 7. post *credebant* [35a]).

Recte igitur A. I, 35. Walther inter verba codicis *promptas ostentavere* inseruit *res* coll. simillimo loco A. XII, 12. *vocante Carrene, promptasque res ostentante, si citi advenissent.* Neque opus est emendatione Heldii, qui in Obss. in difficiliores quosdam Taciti Annalium locos Suidnitii a. 1837. editis p. 4. *promptas ostentavere res* legendum censet, quoniam *res* post *ostentavere* facilius absorberi potuerit. Quae tamen observatio iis fortasse placebit, qui nihil aliud cordi habent, quam ut syllabarum vestigia anxie premant. Sed nec sententiae necessitate neque vi orationis eo adducimur, ut monosyllabum substantivum *res* a suo adjectivo sejungamus et verbo finito in exitu enuntiationis postponamus. Minus etiam placet conjectura Bezzenbergeri, qui in Obss. Tacitinis p. 5., quamvis Waltheri emendationem haud improbat, tamen *partes* post *promptas* inserere mavult. Tum *partes* in archetypo per compendium „Ꝑtes“ scriptum fuisse statueres. At non modo partes et militum studia Germanico prompta dici crediderim, sed res promptas ac paratas, quo seditio facilior et tutior ostentetur.

A. II, 11. Bezzenbergeri conjecturam in Emendatt. delectu p. 18. editam *ingruentes catervas globo perfringerent* et vulgatae lectioni *frangerent* et emendationi Doederliani *effringerent* praetulerim. Cf. Curt. VII, 9. *equitum deinde turmae .... perfregere barbarorum aciem.* Effringitur janua, non acies. Codex praebet *fringerent*, unde variae illae emendationes ortae sunt.

A. XIII, 3. emendationem, quam cod. A. praebet, cum Doederlino probo. Is enim liber exhibet *et Augusto prompta ac profluens, et quae deceret principem, eloquentia fuit* pro vulgata lectione *profluens, quae deceret* sqq. Recte autem Doederlinus annotasse mihi videtur, novam virtutem eloquentiae Augusti,

---

35a) Sic particula *ut* deest in ed. pr. et apogr. Amerb. Vell. II, 91, 4. post *habent* et in codd. Varr. de L. L. VIII. §. 76. ed. Muell. ante *caesior.* Bene igitur beatus Mueller Varr. de L. L. IX. §. 63. p. 217. particulam *ut* inter *itaque* et *dicimus* inseruit suadente Spengelio.

dignitatem et majestatem orationis, memorari oportere, et conjunctivo *deceret* illud *et quae* requiri. Cf. A. II, 88. *Arminius dolo propinquorum cecidit, liberator haud dubie Germaniae, et qui non primordia populi Romani, sicut alii reges ducesque, sed florentissimum imperium lacessierit.* A. XVI, 28. extr. *ne hominem bonis publicis maestum, et qui fora, theatra, templa pro solitudine haberet, qui minitaretur exsilium suum, ambitionis pravae compotem facerent.* H. I, 10. *variis illecebris potens, et cui expeditius fuerit tradere imperium quam obtinere.* H. III, 9. *legioni tribunus Vipsianus Messala praeerat, claris majoribus, egregius ipse, et qui solus ad id bellum artes bonas attulisset.* Agr. 43. *securus iam odii, et qui facilius dissimularet gaudium quam metum.* Cic. Brut. 9, 35. *nam plane quidem perfectum* (scil. *oratorem*), *et cui nihil admodum desit, Demosthenem facile dixeris.* Liv. XXIV, 37. *L. Pinarius erat vir acer, et qui plus in eo, ne posset decipi, quam in fide Siculorum reponeret.* Plin. Epp. I, 10, 5. *sermo est copiosus et varius, dulcis imprimis, et qui repugnantes quoque ducat et impellat.* Epp. III, 14, 1. *superbus alioqui dominus et saevus, et qui servisse patrem suum parum, immo nimium meminisset.* Suet. Tit. 3. init. *egregia forma, et cui non minus auctoritatis inesset quam gratiae* [35b]. Universe autem hoc teneas, parum verisimile esse librarios conjunctionis copulativae adeo curiosos fuisse, ut eam omittere dubitaverint, si quando ratio grammatica aut sententia omissionem iis videbatur suadere: id quod librario vetusti archetypi hoc loco accidisse puto. Is enim — credo — elegantiae latini sermonis ignarus, quum in duplici copulatione enuntiatorum per pronomen relativum et particulam *et* facta aliquem pleonasmum inesse opinaretur, copulativam particulam omisit. Quodsi cui scrupulus restet, is innumeram locorum multitudinem cogitet, ubi libri Msti inter con-

---

35b) Quodsi tot locorum rationem grammaticam respexeris, facile mihi assentiere ita emendanti locum Cic. Verr. IV, 61. *Heraclius magistratum Syracusis habebat, homo nobilis, et qui sacerdos Jovis fuisset, qui honos apud Syracusanos est amplissimus.* Vulgatur *homo nobilis, qui sacerdos Jovis fuisset, qui honos* etc.

junctiones copulativas ita fluctuant, ut pars *et*, alii *ac*, quidam *atque* exhibeant. Quae lectionum diversitas nullo modo, nisi incuria et harum particularum neglectione, cum aliqua probabilitate explicari potest. Quam ob rem vix crediderim controversiam, quae est inter viros doctos de particula *ac* ante vocalem ponenda, e consensu atque auctoritate optimi cuiusque codicis compositum iri. Digna sunt lectu, quae nuperrime Mahnius in Miscellaneis latinitatis Lugd. Bat. 1845. p. 1 — 16. ea de re disputavit.

Sed redeamus ad incepta. A. XIII, 25. lectio cod. Ma. *comitantibus, qui raperent venditionem exposita* variae scripturae ceterorum codicum et veterum editionum originem indicat. Etenim quum in vetusto archetypo idem, quod in cod. Ma., scriptum fuerit, librarius codicis Ma. mendum fideliter servavit, alii omissam praepositionem *ad* recte addiderunt, pars corrtouxit *venditioni*. Quare cum edd. Puteolani *ad venditionem* scribere malim, quam lectionem a recentioribus editoribus vulgatam *venditioni* sequi.

De nono vitiorum genere.

Complures syllabas aut integra vocabula in codicibus Mediceis interdum sine ullo lacunae signo omissa esse, primus Ernestius ad A. XIV, 29. obiter notavit, dein Doederlinus exemplis probavit in Praef. edit. Tac. p. XVII [36]. Id imprimis tum factum est, quum similitudo praecedentis aut sequentis vocabuli syllabaeve ansam omissionis dabat. A. II, 21. post verba *imprompto iam* nomen *Arminio* omissum; c. 54. lectio codicis *alio* ex mutila archetypi scriptura *allio* pro *adito Ilio* orta esse videtur. A. III, 51. cod. *ante diem* exhibet pro *ante diem decimum*. A. XI, 7. extr. *capiendis pecuniis modum* pro *c. p. posuit modum*. A. XII, 18. lectio codd. Mstorum *propriis odiis infensum* pessimum praebet sensum. Aut particula *non* ante *infensum* e cod. A. cum recentio-

---

36) Huius vitii exempla e vett. Velleii libris congessit Kritzius Prolegg. p. ClX. sqq., e graecis scriptoribus tractavit Sauppius in Epist. crit. ad G. Hermannum §. 12.

ribus editoribus inserenda, aut, quod equidem cum J. Fr. Gronovio et Freinshemio praetulerim, pronomen *nullis* ante vocc. *propriis odiis* addendum est. Cf. A. I, 13. init. *Tiberio nulla vetus in Arruntium ira.* A. XV, 49. *Lateranum consulem designatum nulla injuria, sed amor rei publicae sociavit;* c. 64. *Nero nullo in Paullinam proprio odio . . . . inhiberi mortem imperat.* — Dein A. XII, 64. *domitia le* pro *Domitia Lepida.* A. XIII, 8. verbum *inserviret* omissum post verba *qui, ut famae.* C. 53. *Mosellam atque facta* pro *Mosellam atque Ararim facta.* A. XIV, 26. lectio codd. Ma.B.C.G.H.O.Oa.R. *pars nipulique* aut *pars impulique* omissis syllabis *ma* atque *emon* ex genuina scriptura *Pharasmani Polemonique* originem duxit, quum praesertim verba *pars Armeniae* paulo antecedant. C. 56. *libertas* pro *liberalitas.* A. XV, 52. *operam* omissum post *daturis* in cod. Ma. et ed. Spir. C. 64. verbum *imperat* desideratur in libris familiae Romanae post vocc. *inhiberi mortem.* A. XVI, 30. extr. codex Ma. teste Victorio participium *viduata* ante *desolataque* omittit. H. I, 65. init. lectionem codd. Ma.G. et ed. Spir. *veterem inter Lugdunenses* (ed. Spir. *Lugdunensem*) *discordiam* ex genuina scriptura *v. inter Lugdunenses Viennensesque discordiam* ita ortam puta, ut aequalem exitum nominum *Lugdunenses* et *Viennenses* ob soni vel literarum similitudinem librario archetypi vetusti fraudi fuisse statuas, ut *Lugdunensesque* scripserit. Tum ab illorum codicum librariis (de ceteris enim libris Mstis altum silentium est) syllaba *que,* quae ab hoc loco aliena esse videbatur, omissa, a Puteolano vero nomen *Viennenses* bene additum est. Ex eodem mendo H. V, 11. varietas lectionis codicum et editionum familiae Genuensis orta est. Ii enim libri pro vulgata e cod. R. et ed. Spir. scriptura *turres . . . in centenos vicenosque* (scil. *pedes*) *attollebantur* exhibent *turres . . . . in centenos quoque attollebantur.* Originem vitiosae hujus lectionis indicat codex B., quippe qui *in centenosque* praebeat. H. IV, 38. in lectione codd. Ma.B.R. et ed. Spir. *is provinciae nequaquam turbidus ingenio, sed . . . . . . vulgus . . . . clausum litus, retineri commeatus, dum timet, credebat* verbum vel substantivum aliquod, quod ad vocem *provinciae* attineat, desiderari facile concesseris, sive cum libris scriptis et editis familiae Genuensis *praeerat* ante voc. *provinciae* inseras, coll. A. XII, 11. *qui Syriae*

praeerat, sive cum Jac. Gronovio [36a]) *is procons.* (i. e. *pro consule*) *provinciae* legendum censeas, coll. H. IV, 48. init. *sub idem tempus L. Piso pro consule interficitur.* Equidem Gronovii emendationem praetulerim et ob simile vocabulorum *procons.* et *provinciae* initium et quia, totius loci ratione et structura accurate considerata, substantivum magis, quam verbum aliquod ad voc. *provinciae* desideratur. Oppositio enim, quae est inter ambo enuntiationis membra per particulam *sed* connexa, non in Pisonis proconsulatu, sed in eo cernitur, quod, quamvis Piso rector provinciae nequaquam turbidus ingenio fuisset, vulgus tamen summam de eo suspicionem habuisse dicitur. Itaque praedicatum prioris membri in adjectivo *turbidus* quaerendum et ex more Taciti verbum substantivum *erat* intelligendum est. Verbum *praeerat* ex conjectura in libros familiae Genuensis irrepsisse, inde etiam probabile fit, quod codex Agricolae, qui familiae Romanae est, idem verbum p o s t *provinciae* transpositum praebet. Ceterum conjecturis de substantivo omisso amplum spatium est datum: ipse quondam suspicatus sum: *is r e c t o r provinciae nequaquam turbidus ingenio*, coll. A. II, 4. *rector Syriae Creticus Silanus.* A. XII, 40. init. *ne p r o v i n c i a sine r e c t o r e foret.* — H. IV, 56. in verbis *optimum e praesentibus ratus mutua dissimulatione et iisdem, quibus petebatur, a r t i b u s grassari* codd. Ma.B.R. et ed. Spir. omittunt *artibus* [37]).

36a) Ita scribi vult et Jacobus in Obss. ad Hist. critt. Partic. II. p. 24.

37) Jacobus l. l. II. p. 26. hanc familiae Romanae lectionem praefert, et quia facile eo nomine careamus, et quia *grassari* quodammodo ab *artibus* abhorreat. At solemnis est formula dicendi *artibus peti* (cf. e. c. Liv. 22, 16. *nec Hannibalem fefellit suis se a r t i b u s p e t i*); et valde dubito, num librarius aliquis tam elegans verbum ex suo ingenio addiderit idque in illo ipso loco, quo nunc legitur, posuerit. Si quando inseruerit, potius sic scripsisse eum crediderim: *iisdem artibus, quibus petebatur, grassari.* Nec magis ab *artibus*, quam a *dissimulatione* et a *dolo* abhorret verbum *grassari.* Cf. Hist. IV, 16. init. *Civilis d o l o g r a s s a n d u m ratus.* Universe dicas, Jacobi, viri cetera egregii, judicium a veritate interdum abhorrere, quippe quum codicibus Mediceis prae ceteris studeat indulgeatque. Quod quidem cum Walthero, Rothio, Bachio, doctissimis viris, ei est commune. Bachius potissimum codicum illorum amore, ac studio

Quodsi haec vocabulorum in codd. Mediceis omissorum exempla respicio, nescio an cum Heldio Obss. in Tac. A. p. 4. A. I, 34. inter *iu*-

---

adeo occaecatus fuit, ut lectionum manu scriptarum retinens non ita raro sermonem parum latinum Tacito obtruserit. Sic Ann. XIV, 57. scripturam cod. Ma. *nec ultra moras. Sulla sqq.* non modo defendere conatus est ellipsi verbi finiti *facit*, sed in editionem ad usum scholarum paratam recepit. Sin considerasset vir doctissimus, literam *s* ex sequenti *Sulla* voci *mora* facillime adhaerere potuisse, quum praesertim particula *ultra* saepissime praepositionis vice fungatur, certo non dubitasset solemnem dicendi formulam *nec mora* vel *nec ultra mora* praeferre, quae Ovidii Metamorphoses legenti toties occurit, quaque etiam Tacitus nonnunquam usus est. Cf. e. gr. Ovid. Metam. IV, 344. 481. VI, 636. VIII, 416. IX, 166. XI, 325. XIV, 273. 362. Fast. II, 709. Tac. Ann. IV, 70. XIII, 45. H. I, 59. extr. II, 14. et 31. Curt. VII, 5. Nec locutio *moras facere* latina est. Latine vero dicitur *moras ferre* (v. Tac. Ann. XVI, 19. Hist. IV, 55. Ovid. Met. XI, 308.) *moras nectere* (v. Ann. XII, 14. Hist. III, 52.) *m. tentare* (v. Ann. XI, 35.). Leviore igitur vitio Doederlinus quidem ad accusativum *moras* intelligit *tulit*, collato loco Soph. Antig. 575. ed. Wund. μὴ τριβὰς ἔτι, quaeque interpretes ibi attulerunt; sed tamen longe aliter in dialogis graecorum poetarum scenicorum res se habet, atque in oratione latini rerum scriptoris. An cum Walthero et Rupertio Ann. XI, 22. lectionem cod. Ma. et ed. Spir *post legem Sullae viginti creati supplendo senatui* revocare malles, quam vulgatam *post lege Sullae* sqq. retinere? Illa enim scriptura inde orta est, quod librarii particulam *post* pro praepositione accipiebant, quum tamen ordini rerum relatarum exponendo inserviat et praecedentibus particulis *primum*, *dein* et *mox* respondeat. Idem vitium Agric. 9. librarius archetypi vetusti, unde codd. Msti Vatt. et edd. Puteolani fluxerunt, commisit, Doederlinus in notis ad vers. german. p. 52. et Fritzschius in Quaestt. Lucian. p. 132. extr. defendere ausi sunt, Becker, Hertelius, Peerlkampius, Rothius, Bachius repetiverunt. Hi omnes enim scribunt *ubi officio satisfactum, nullam ultra potestatis personam, tristitiam et arrogantiam et avaritiam exuerat* pro vulgata scriptura *ubi o. s., nulla ultra potestatis persona: tristitiam . . . . . exuerat.* Jam satis clarum est, et accusativos *tristitiam et arrogantiam et avaritiam* per loci confusionem traxisse formam *personam*, et in particula *ultra*, quae alibi quidem praepositionis vim habet, culpam esse positam, id quod jam Walther docuit. Ceterum conf., quae Walchius et nuperrime

bet et *sic* coniunctionem *ubi* inserendam censeam. Is enim postquam interpretationem verborum *sic melius audituros responsum* a Walthero excogitatam, a Bachio et Doederlino probatam merita laude affecit, ita pergit: »At Walther incuriosus fuit iuncturae singulorum enuntiatorum. Non liquet, a quo verbo infinitivus *praeferri* pendeat, insertis verbis *sic melius audituros responsum*. Tacitum hoc modo scripturum fuisse, ut quasi celerem actarum rerum consecutionem innueret, equidem dubitaverim.« Et sane verba illa orationis cursum turbant, etiamsi parenthesin effici statuas. Contra omnia optime se habent, si legis: *Adsistentem concionem, quia permixta videbatur, discedere in manipulos jubet*: *ubi sic melius audituros responsum, vexilla praeferri, ut id saltem discerneret cohortes. Tarde obtemperavere.* Ceterum coniunctio *ubi* post verbum *iubet* facile potuit absorberi.

Maiore etiam iure A. I, 69. corruptam codicis lectionem *nec adversus externos militum quaeri* ita emendare maluit Doederlinus, ut *studia* post *militum* insereret, quam vulgatam *militem* retinere. Quis enim est, quin cernat, ei sententiae, quam condicio ac ratio loci poscit, verba *militem quaeri* parum esse apta? Equidem tamen *studia* vocabulo *militum* ex trito verborum ordine postposuerim, collatis hisce locis: A. II, 5. *studia militum*; A. III, 12. *studia militum*; H. I, 23. *studia militum;* c. 64. *studia militum*; H. III, 80. *studia populi;* c. 86. *studia exercitus.* Neque enim duo illa verba tam arcto vinculo inter se coniuncta sunt, ut in unius notionis quasi corpus confusa sint, neque est quod vox *militum* cum praecipua vi efferatur, si quidem milites aliis quibusdam non opponuntur: immo si qua vis orationis alterutri voci inest, ea in studiis praecipue posita est. Sed mitto has minutias, ne cui syllabarum aucupium facere videar.

Dein huc referenda est palmaris Bezzenbergeri emendatio, qui l. l. p. 26. A. XI, 6. e scriptura cod. Ma. *negotiant* elicuit

---

Dronkius in optima editione Agricolae secunda contra illos viros doctos disputarunt. En luculentissima habes exempla, ex quibus intelligas, in genera vitiorum, quibus optimus quisque cod. Mstus foedatus sit, non sine aliqua spe fructus in scriptores inde redituri inquiri.

hanc conjecturam: *quodsi in nullius mercedem negotia fiant, pauciora fore.* E. codd. G.Oa. in marg. et edd. Spir. Put. *negotia tueantur* vulgabatur ante Bekkerum, qui cum Bachio, Rittero, Rupertio conjecturam J. Fr. Gronovii *negotia eant* in textum recepit.

A. XII, 13. inter verba *sed capta in transitu urbs Ninos, vetustissima sedes Assyriae, castellum insigne fama, quod postremo inter Darium et Alexandrum proelio Persarum illic opes conciderant,* quae est lectio codd. Mstorum et vett. edd. praeter cod. A., nomen castelli excidisse videtur, quum alibi castellorum nomina multo minus nota et insignia addere soleat Tacitus. Cf. A. II, 7. extr. *castellum Alisonem.* A. XII, 45. *castellum Gorneas tutum loco et praesidio militum.* A. XIV, 25. init. *praesidium Legerda;* ita enim ex conjectura Bezzenbergeri (Emendatt. delect. p. 35.) pro lectione codd. Ma.B.C.G.H.O.Oa.R. et edit. Spir. *praesidium l e g e r a t* rescribendum est. A. XV, 10. *castellum, cui Arsamosata nomen est.* Librarius codicis A, quem quidem conjecturarum ope Taciti libros emendasse nemo negaverit, ante vocem *castellum* idem, quod Lipsius conjecit, inseruit *et Arbela;* idque Ryckius, Ernestius, Oberlinus, Kiesslingius, Bekker in textum receperunt. Melius Ritter et Doederlinus lacunae signum voci *castellum* praeposuerunt. Equidem argumentis a Bipontinis et Walthero allatis evictus nomen *Gaugamela* excidisse puto idque post *castellum*, ut fere solet Tacitus nominibus fluminum, urbium aliorumque locorum appellativa, quae accedunt, praeponere, nisi si appellativis cum adjectivo aut genitivo junctis pro appositione utitur. Conf. praeter exempla modo allata: A. I, 32. *in amnem Rhenum;* c. 60. *ad flumen Amisiam;* A. II, 7. extr. *castellum Alisonem;* c. 9. init. *flumen Visurgis;* c. 23. init. *per flumen Amisiam;* c. 56. *in urbe Artaxata;* c. 63. *inter flumina Marum et Cusum;* A. III, 1. *apud oppidum Brundisium;* A. IV, 13. *in insulam Amorgum;* A. VI, 33. *urbe Artaxata;* A. XI, 21. *in oppido Adrumeto;* A. XII, 12 *apud oppidum Edessam;* c. 13. *amne Tigri* et *urbs Ninos;* c. 16. *urbem Uspen;* c. 51. *urbem Artaxata;* A. XIII, 7. *per amnem Euphraten;* c. 43. *in insulas Baleares;* A. XV, 5. *apud oppidum Nisibin;* c. 15. init.: *flumini Arsaniae;* H. I, 13. *in provinciam Lusitaniam;* H. V, 23. *amnem Rhenum.* Postpositi appellativi rara sunt exempla: cf. A. II, 6. extr. *Mosa flumine;* c. 8. *ad Amisiam*

flumen. Rursum sicubi genitivus nominis proprii atque appellativi ab aliquo substantivo pendens legitur, nomen proprium appellativo a Tacito praeponitur: cf. H. IV, 66. *pontem Mosae fluminis*; c. 70. *pontem Navae fluminis*; H. V, 23. *Mosae fluminis os*; c. 26. *Nabaliae fluminis pons.*

A. XII, 27. codd. Ma.B.G. exhibent *L. Pomponius legatus auxiliares Vangionas ac Nemetas addito equite alario monitos, ut anteirent populatores.* Puteolanus violentius et cum magno elegantiae damno vulgatam lectionem *monuit* pro *monitos* subdidit. Nuper Walther verbum *mittit* ante *addito*, Doederlinus *immittit* ante *monitos* excidisse suspicati sunt, coll. A. I, 63. *Arminius colligi suos et propinquare silvis m o n i t o s v e r t i t repente.* Utramque emendationem partim probo, partim reprobo. Quamquam enim verbum finitum ante *monitos* inserendum censeo, verbum *mittit* praefero formae *immittit*, quia illud ab eadem, qua vox *monitos*, litera incipit simulque ad hujus loci sententiam aeque bene convenit, utpote ex solemni usu eodem sensu dictum, quo nostrum „abschicken" sive „entsenden". Rursum verbum finitum ante *monitos* inserere malim, quo compositioni enuntiati melius consulatur, et caveatur, ne obiter legens vocem *monitos* cum verbis *addito equite alario* conjungas. Eodem verborum ordine dicta sunt apud Tac. H. III, 20. extr: *simul lixas calonesque cum recentissimis equitum Bedriacum m i t t i t copias ceteraque usui a d l a t u r o s.* Cf. Liv. XXXI, 35. init.: *Rex vero tam celerem aleam universi certaminis timens quadringentos Tralles et Cretenses trecentos, a d d i t o iis peditibus pari n u m e r o equitum, cum duce Athenagora, uno ex purpuratis, ad lacessendos hostium equites m i s i t.*

A. XII, 46. extr. cod. Ma. exhibet *ut pacem flagitarent seque p r a e s i d i u m a m m i s minitarentur* pro vulgata codd. Mstorum familiae Genuensis et cod. B. a sec. m. lectione *seque p r a e s i d i o a b i t u r o s minitarentur*, quae emendationis speciem praefert, praesertim quum cod. R. et ed. Spir. exhibeant *seque p r a e s i d i u m q° m i n u s* (i. e. *quominus*) *minitarentur*, cod. A. *p r a e s i d i u m tradituros*, et cod. B. a pr. m. *praesidii a m m i s* praebuisse videatur. Quae lectionis varietas archetypi vetusti scripturam mancam atque corruptam fuisse indicat. Ita Freinshemium e vestigiis codicum genuinam scripturam *praesidium omissuros* feliciter elicuisse

cum Doederlino arbitror. Solita enim verborum *omittere* et *amittere* confusione [38]) in archetypo pro *omissuros* scriptum fuisse

38) Sic A. XV, 5. extr. cod. C. et ed. Spir. exhibent *Monesen* *amittere Tigranocertam jubet* pro vulg. *omittere.* Cap. 6. init. in ed. Spir. extat *amisso utrimque bello* pro *omisso.* Agr. 16. *nec ullum in barbaris saevitiae genus amisit ira et victoria* in edd. vett. scribitur pro vulg. *omisit.* Dial. de Oratt. 5. codd. Neapol. Perizon. *amitti studium,* edd. vett. et multae recentt. *amittit studium* praebent pro emendatione Rhenani a plerisque editoribus recentiorum temporum probata *omittit studium.* Proinde A. XIII, 46. cum Doederlino et Graevio probo lectionem cod. A. *Poppaea .... si ultra unam alteramque noctem attineretur, nuptam esse se dictitans, nec posse matrimonium omittere, devinctam Othoni per genus vitae, quod nemo adaequaret.* Vulgatur quidem *amittere*; at amitti sibi posse matrimonium nequivit Poppaea negare. Nam si per Othonis mortem vidua facta foret aut ultra unam alteramque noctem in aliena domo retenta, itaque trinoctii ex jure Neroni nupta foret, eam matrimonium Othonis amissuram fuisse, quis est, quin intelligat? Verum omittere se posse matrimonium jure negavit Poppaea, quippe quae Othoni viro summe colendo ac reverendo devincta esset. Amittimus enim casu, fortuna, inertia et sine nostra opera, omittimus consulto et data opera. *Omittere* idem fere significat, quod *desistere, deserere, deponere,* nisi quod neglectionis quaedam notio immixta est. Respondet autem, ni fallor, graeco verbo ἀφιέναι, germanico aufgeben vel fahren lassen vel verzichten. Minus placet haud absimilis interpretatio a Doederlino ad h. l. et Synon. Tom. III. p. 285. proposita, ex qua volentes omittere, inviti amittere dicantur. Quippe non in volendo aut nolendo, sed in agendo aut patiendo discrimen illorum verborum consistere videtur. Nam Ann. XV, 5. init. a Vologese Corbulo efflagitat, ut Tigranocertae obsidionem omitteret. Atqui homines non solent poscere, ut hostis sponte et volens aliquid faciat. Certe noluit Vologeses desistere obsidione, sed minis Corbulonis perculsus est, ut Monesen Tigranocertam omittere juberet, ipse retro concederet. Ipse igitur Vologeses agendo rem ita instituit, ut urbis obsidio desineret. Huic interpretationi favent etiam exempla, quae Doederlinus attulit in subtili ceteroquin quaestione Synon. Tom. III. p. 284 — 293. Igitur Ann. XIV, 26 cum Acidalio et Doederlino lectionem cod. A. *Tiridaten .... spem belli omittere subegit* vulgatae *amittere* praeferam, idque ob verbum *subegit.* Sane amisit quidem Tiridates spem belli, sed eo amisit, quod a Corbulone spem omittere subactus est. Similiter germanice diceres „Corbulo zwang den Tiridates die Aussicht auf

videtur *amis*, syllabis finalibus *suros* omissis. Verbum *omittere* hac de re proprium a Tacito frequens usurpatur. Cf. A. I, 36. *si omitteretur ripa;* c. 47. *omittere caput rerum;* c. 56. *reliqui omissis pagis vicisque in silvas disperguntur;* A. IV, 48. *mox versi in luxum et raptis opulenti omittere stationes;* c. 51. *ut quaedam munimenta Romani quasi perrupta omiserint.* A. XV, 5. extr. *Monesen omittere Tigranocertam jubet.* H. II, 65. *omissa Hispania.* H. III, 11. *omissis lictoribus Patavium concessit.*

A. XVI, 22. cod. Ma. exhibet *huic uni incolumitas tua sine artes sine honore.* Recentiores editores ex conjectura J. Fr. Gronovii prius *sine* mutarunt in *tuae*, sed quum *incolumitas* non bene dicatur *sine honore* esse, cum Lipsio ac Doederlino suspicor *cura*

---

den Krieg aufzugeben" non „zu verlieren". Cf. Ann. XI, 8. extr. *coactusque Vardanes omittere Seleuciam.* A. XII, 50. *atrox hiems .... et .... tabes percellunt Vologesen omittere praesentia.* Ceterum trita fere locutio *spem omittere*: cf. v. c. H. IV, 30. *omissa oppugnandi spe.* Porro Hist. II, 40. ex scriptura omnium fere codicum et edd. vett. *Celso et Paullino abnuentibus militem itinere fessum, sarcinis gravem obiicere hosti non amissuro, quominus expeditus et vix quattuor millia passuum progressus aut incompositos in agmine aut dispersos et vallum molientes aggrederetur* cum Rupertio et viro docto, qui variam lectionem in margine ed. Micyll. 1557. attulit, malim conjicere *hosti non omissuro*, quam vulgatam ex cod. B. lectionem *admissuro* quoquo modo tueri. Cf. Ann. III, 27. *ac ne bello quidem .... omissum, quin multa et diversa sciscerentur.* Ceterum conjunctio *quominus* pendet a locutione *non omissuro* eodem jure, quo scribitur Ann. XIII, 14. et Suet. de ill. gramm. c. 27. *non abstinere quominus*, Ann. XIV, 39. *non deesse quominus*, Agric. c. 27. *nihil remittere quominus*; quos locos Haasius in nota 490. ad Reisigii Scholl. Gramm. Lat. p. 572. attulit. Denique Vell. II, 39, 1. in ed. pr. et apogr. Amerb. *amisimus* pro *omisimus* scriptum, et apud Livium multis locis codd. Msti inter verba *amittere* et *omittere* fluctuant; conf. Drakenb. ad VII, 34, 9. Eadem confusio reperitur Sall. Iug. 31, 17. 25., ubi vid. Kritzii et Dietschii annotatt. Item *amittere* et *emittere* saepius confundi docuit Burmannus ad Phaedr. I, 13, id quod inter alios locos in Corn. Nep. vita Epaminondae cap. 9, 3. factum est: vid. ed. Bardili. Vol. I. p. 495.

inter voces *sine* et *artes* excidisse. Cf. Agric. 43. init. *finis vitae* .... *extraneis* .... *non sine cura fuit.* A. XI, 8. *minora sine cura haberi.* H. I, 79. init. *externa sine cura habebantur.* A. XIV, 12. *quae sine cura deum eveniebant.* Videsne, ut elegantissimum ἀντίθετον emendatione Lipsii orationi reddatur? Sin eiusmodi vocabulum inserere malis, quod eandem ac praepositio *sine* terminationem praebeat, eoque facilius excidere potuerit, scribere licet *sine sollicitudine.* Sensus idem fere est, ac si legitur *sine cura*, sed haec locutio est solemnis ideoque praestat. Ceterum iam in vetusto archetypo scripturam codicis Ma. extitisse, probatur lectione reliquorum librorum scriptorum editorumque *sine arte sine honore*; in quibus *sine arte* pro *sine artes* ad similitudinem locutionis *sine honore* scriptum est.

De decimo vitiorum genere.

Sequuntur iam fortuitae syllabarum et vocabulorum repetitionis, quae dittographia vocatur, exempla, quae plurima et evidentissima in codicibus Mediceis reperiri primus, quod sciam, docuit Doederlinus in Praef. p. XIV. sq., simul varias eius vitii causas plus minusve probabiles coniectans. Vocabula modo continuo aut uno alterove verbo interposito, modo spatio singulorum versuum, quin et longiore interjecto repetuntur. Et prioris quidem speciei haec sunt exempla [39]).

A. I, 80. *sibi [sibi] a pessimis.* A. III, 11. *Satin cohiberet ac premeret sensus suos Tiberius [ac premeret].*

---

39) Similiter apud Martial. I, 97, 1. codex Vossianus a Schneidewino litera B. signatus *clam amant* praebet pro *clamant;* ibid. II, 85, 1. cod. Thuaneus optimus *nivaevae* exhibet pro *niveae*, et VII, 96, 8. codd. Msti a Schneidewino literis X.A.B.G. notati genuinam scripturam *non eat, optabis quem superesse tibi* mutarunt in *nonne adopta tavis* sqq. aut in *nonne adoptat avis* sqq. Vocabula passim in palimpsesto Ciceronis de republica libro repetita esse annotavit Maius ad II, 39. p. 206. ed. Tubing. Item librario Cassellani codicis Servii saepius accidisse, ut modo syllabas modo vocabula repeteret, assiduo usu edoctus sum. Eiusdem vitii exempla e vett. Velleii libris collegit Kritzius Prolegg. p. CXII. sq.

C. 63. lectio codicis *Stratonici divae Veneri* orta esse videtur ex *stratonicidive veneri* repetita syllaba *ve*. Bene igitur correxit Rhenanus *Stratonicidi Veneri*, ut hodie vulgatur. Neque est, quod cum Bezzenbergero Obss. Tacit. p. 17. nomen Veneris speciem quandam interpretamenti habere opineris, aut cum eodem viro docto et Doederlino suspiceris *Stratonicidi divae Veneri*. Neque enim Doederlino crediderim, significasse Apollinem Venerem, non nominasse, ipsum autem nomen sive a legato Smyrnaeorum sive a Consule referente sive a Tacito adjunctum fuisse. Obscurioribus certe ambagibus Pythiam usuram fuisse facile intellexeris, si Venerem significare, non nominare voluisset. Accedit, quod in decreto Smyrnaeorum e Marmor. Oxon. p. 6. a Doederlino ipso allato Seleucus Callinicus dicitur declarasse, τὸ ἱερὸν τῆς Στρατονίκιδος Ἀφροδίτης ἄσυλον εἶναι. Aliter res se habet Virg. Aen. II, 787. in oratione umbrae Creusae: *Dardanis et divae Veneris nurus*; ibi enim Venus cum emphasi dicitur diva. At in Taciti narratione nullus emphasi est locus. — A. IV, 14. cod. exhibet *vetustustum* pro *vetustum*; c. 38. *proinde socios cives et deos* [*et deos*] *precor*; A. VI, 12. *Erythrytrys* pro *Erythris*. A. XI, 6. *spectetetur* pro *spectetur* et A. XIII, 41. *de deis* pro *deis* in cod. Ma. scriptum est. A. XVI, 15 *ingenti corporis robore* [*corporis*] in eodem codice legitur. H. I, 2. *mota* [*etiam*] *prope etiam Parthorum arma*; c. 3. extr. *tristitia* pro *tristia*; c. 4. *sed patres laetius usurpata statim libertate* pro *sed patres laeti usurpata s. l.* C. 16. *utilissimus* [*bonarum*] *idem ac brevissimus bonarum ac malarum rerum delectus*. C. 46. *Otho, ne vulgi .... animos averteret et fiscum suum vacationes annuas exsoluturum promisit* pro *Otho .... averteret, fiscum* sqq.; c. 51 *ad dedecus* pro *ad decus*; c. 54. *modo in suas injurias* pro *modo suas injurias*; c. 67. init. *plus praedae ac sanguinis* [*prae*] *Caecina hausit*. H. II, 22. *infracta partium fama: et Caecina* [*fama*] *pudore* sqq.; c. 76. *aut* [*non*] *certe non arduum*, et paulo post *tam salutare reipublicae* [*tam*]*quam tibi magnificum*. H. III, 47. init. *is fuit Anicetus Polemonis libertus praepotens* [*libertus*] *olim*; c. 51. *majora meritum, quamquam statim exsolverentur* pro *m. m. quam quae st. e.* H. IV, 58. *ne* [*ho*]*hoc prodigium*; c. 77. *pars montibus*,

alii [*alii*] *viam inter Mosellamque*. H. V, 9. *comprimere receptantem* pro *comprimere coeptantem*; c. 15. *cominus minus* pro *cominus*.

Ad alteram vitii hujus speciem referenda sunt haec exempla: A. XII. 46. *nec aliud subsidii quam castellum commeatu egenum; ne dubitaret armis* [*quam*] *incruentas conditiones malle*. Prava repetitio particulae *quam* ex librarii ignorantia formulae *incruentas conditiones armis malle* facile oriebatur, quam corruptelae originem Walther recte animadvertisse mihi videtur. A. XIII, 5. *ne designatis* [*quidem*] *quaestoribus edendi gladiatores necessitas esset: quod quidem adversante Aggrippina sqq.* C. 16. *quod ita cunctos ejus artus pervasit, ut vox pariter et spiritus* [*ejus*] *raperentur*. A. XV, 66. init. *ceterum militaris quoque conspiratio non ultra fefellit accensis* [*quoque*] *indicibus*. H. I, 31. init. *cetera cohors non aspernata concionantem ut turbidis rebus eventior te magis et nonnullo adhuc consilio* sqq. praebet cod. Ma. pro vulgata scriptura *c. c. n. a. c., ut turbidis rebus evenit, forte magis et nullo adhuc consilio* sqq. H. II, 92. init. cod. Ma. pro *a praefectura cohortis* exhibet *ad praefectura cohortis*, quum c. 91. extr. proxime antecedat *ad exemplar*.

Ita interdum factum est, id quod Doederlinus l. l. subtiliter docuit, ut eiusmodi dittographia aliud vocabulum idque verum detruderetur [39a]). Sic A. XV, 53. *aut inane aut spem* pro *aut inanem at* (i. e. *ad*) *spem* exhibet cod. Ma. C. 62. extr. *neque aliud superesse quam matrem fratremque interfectos, quam ut educatoris . . . . necem adjiceret* pro *n. a. superesse post matrem sqq.* scripsit librarius prave memor locutionis *neque aliud quam*. H. I, 37. *occisi . . . . Nymphidii in castris? Quae usquam provincia, quae in castris sunt nisi cruenta?* pro *quae castra sunt nisi cruenta?* H. II, 76. *splendiori origine* pro *splendidior origine*. H. III, 51. *majora meritum, quamquam statim exsolverentur* pro *m. m. quam quae* sqq. H. V, 21. *versa*

39a) Proinde locum Marii Victorini p. 2462. *deus est, inquam, ut reus, et facit genitivo casu dei, ut rei; nominativo igitur plurali hi dei, ut rei* ita emendaverim, ut rescribam *n. i. p. hi dei, ut hi rei.*

fortuna praecipites Germani in amnem aguntur . . . . . idem Germani effugium pro *idem Veracis effugium.* C. 22. cod. Ma. exhibet *namque praetoriam navem vexillo insignem, illic ducem rati, abripiunt. Cerialis alibi nave egerat* sqq., codd. G. et — teste J. Gronovio [40]) — O. *Cerialis alia navi noctem egerat* sqq. In cod. Vat. 1958. secunda manus adscripsit *alia navi navem.* Vulgatam autem scripturam *Cerialis alibi noctem egerat* tuentur codd. Vatt. 1863. et (a pr. m.) 1958. cum edd. vett. Ex mira hac lectionis varietate equidem collegerim, librarium vetusti archetypi, quum oculi ad praecedentis versus vocem *navem* aberrassent, scripsisse *alibi navem egerat*, postea vero, quam codex Ma. ex archetypo illo descriptus esset, lectorem vel librarium quendam sententiae auctoris gnarum, et qui verba aperte corrupta corrigere vellet, aut in margine archetypi aut supra lineam *alia navi* et *noctem* adscripsisse, quo significaret, aut *alia navi egerat* aut *alibi noctem egerat* rescribendum esse. Hanc correctoris sententiam assecuti sunt et librarii codd. G.O. et ii, quorum codices vulgatam lectionem praebent, quamquam alii aliam emendationem in textum receperunt. Ejus autem codicis librarius, ex quo secunda manus in cod. Vat. 1958. conspicua sua hausit, vocabulo *navem* male retento *alia navi* pro *alibi* scripserat. Librarius codicis Ma., quippe qui Taciti libros ex archetypo nondum emendato describeret, pristinam lectionem *alibi navem egerat* servavit, nisi quod *nave* scripsit, sive in archetypo *navē* scriptum invenerat, sive ablativum loci, non accusativum objecti requiri putabat, sive utraque causa ad mutationem adducebatur. Ita turbarum, ut sic dixerim, membranacearum origo non jam obscura, nec opus est Rupertii emendatione *alia nave egerat.* Vulgata enim lectio

40) Jac. Gronovius Tom. II. p. 568. edit. a. 1721, ubi excerptam e cod. O. varietatem lectionis prodidit, haec quidem scripsit: *alia navi*] *MS. alibi;* sed quum ceteroqui lectioni codicis vulgatam pro lemmate praeponat et *alibi*, non *alia navi* vulgo legatur, dein ex nullo codice *alia navi* vel alia quae lectio illo tempore prodita sit, postremo codex G., qui ejusdem est familiae, *alia navi* exhibeat, his ex causis certo colliges, Jac. Gronovium e contrario scribere voluisse: *alibi*] *MS. alia navi.*

vera est. Cf. simillimum locum H. IV, 77. *neque enim noctem in castris egerat.* Ceterum non est, quod exempla locutionis *noctem agere* e Tacito colligam, qualia leguntur praeter locum modo allatum A. XI, 27. et H. II, 49 [41]).

Quae quum ita sint, Doederlinus hujus vitii in codd. Mediceis frequentis observatione nisus duos hosce locos egregie emendavisse mihi videtur. A. XIV, 38. extr. codd. Msti et ed. Spir. exhibent *cujus* (i. e. *Suetonii*) *adversa pravitati ipsius, prospera ad fortunam* (cod. R. ed. Spir. *fortunae*) *ipsius referebat.* Vulgata lectio *ad fortunam rei publicae referebat* e sola mente Puteolani, cui quidem iteratum pronomen *ipsius* jure displicebat, profecta esse videtur. Scripturam codicum jam in vetusto archetypo extitisse verisimillimum est, idque eius librario fraudi fuisse suspicor, quod homo ingenii imbecilli genitivum desiderabat, qui, sicut *ipsius* cum voce *pravitati* junctum erat, ita ad *fortunam* referretur. Ob eandem socordiam loco A. XIII, 16. supra allato genitivus *ejus* prave repetitus est in codicibus praeter R. omnibus. Et alibi quidem is nominatur, cui fortuna favet; cf. A. IV, 18. *destrui per haec fortunam suam Caesar . . . . rebatur;* A. XIV, 6. *benignitate deum et fortuna ejus* (scil. *Caesaris*) *evasisse gravem casum.* H. III, 46. *fortuna populi Romani.* H. IV, 57. *fortuna imperii.* At nullo additamento opus est; fortuna absolute dicitur, sicut A. XV, 17. *optimam fortunam orandam.* A. XVI, 1. init. *illusit dehinc Neroni fortuna.* H. I, 52. *venienti fortunae occurreret.* H. II, 33. *fortunam et deos et numen Othonis adesse consiliis.* H. IV, 78. extr. *secutusque fortunam*

41) Jacobus in Obss. ad Tac. Hist. critt. II. p. 29. corrigit *Cerialis alibi ignave egerat.* At tale flagitium, quale vigiles in Cerialem seu vere seu falso vertunt, ignaviae nomine insignire equidem dubitaverim, infamiae nil dubito. Sed ut ejusmodi flagitium ignaviae notam prae se ferat: num putas Tacitum, certissimum ac diligentissimum auctorem, Cerialem ignaviae aperte arguisse, quia plerique stuprum ab eo commissum crediderint, et vigiles flagitium suum ducis dedecore excusaverint? Sane infamiam quidem in ore vulgi is non vitat, cui tale dedecus vulgo adscribitur, sed ignavus is nequit dici, quem noctem in alia navi egisse tantum constat.

castra hostium eodem die capit exscinditque. Ceterum jam Ernestius pronomen *ipsius* temere repetitum esse putavit. Sin simile aliquod vocabulum, et quod pronomine *ipsius* detrusum sit, ex hac ipsa voce eliciendum censeas [42]), Jac. Gronovium sequare, qui *imperii* proposuit. Et sane in codd. Mstis scribitur pronomen *ipse* per hoc compendium *ip̃e*; cf. Waltheri Praefat. p. XX. et auctores operis diplomatici, quod inscribitur *Nouveau traité de Diplomatique* Tom. III. p. 540. not. Tum in vetustissimo exemplari pro *ipu* i. e. *imperii* transversa linea neglecta *ipu* scriptum fuisse verisimile est. Gronovii conjectura firmatur verbis Taciti, quae H. IV, 57. leguntur, *superesse fidas provincias, victores exercitus, fortunam imperii et ultores deos*; et edicto Nervae in Plin. Epp. X, 66, ubi dicitur §. 9. *fortuna imperii.* Caveas autem, ne audacior Bezzenbergeri conjectura specie ingeniosi inventi tibi imponat. Is enim in Emendatt. delectu p. 36. proposuit: *ad fortunam reipublicae sinistre referebat*, ita ut pronominis *ipsius* literas primas duas ex compendio *r. p.* ortas esse, vocis *sinistre* syllabam primam et secundam in postremis literis pronominis latere, postremam syllabam primae verbi *referebat* cessisse dixerit. Sed ea emendatio mihi quidem videtur nimis recedere a verbis codicum *ipsius referebat*, a quibus *ipu sinistre* i. e. *imperii sinistre* certe minus abest, ne dicam adverbium *sinistre* languescere et vim orationis impedire, utpote additamentum supervacaneum et concisi sermonis gravitati atque elegantiae adversum. Tacitus autem orator verbis aptus et pressus et strictus. Nemo vero non intelligit, Classicianum adversa in pravitatem, secunda in casum declinando res a Suetonio gestas non in ipsius gratiam, sed sinistris sermonibus rettulisse i. e. inique ac maligne in deterius interpretatum esse.

---

42) Jacobus in Obss. ad Tac. Hist. Part. I. p. 21. *ipsius* natum esse arbitratur ex compendio vocabuli *imperatoris*; quod tamen a ductibus literarum pronominis *ipsius* nimis recedere mihi videtur. Minus displicet eiusdem conjectura *principis*; quippe gloriosa principis commemoratio in adulationem temporum et in morem hominis maligni cadit. Cf. locum ex Ann. XIV, 6. supra allatum. Ceterum vocem *principis* per compendium syllabae *pri* scriptam et, syllaba *pi* omissa, in *p²ncis* olim corruptam fuisse putabis.

Alterum locum foede in libris Mstis, foedius etiam in editis corruptum A. XV, 28. egregie Doederlinus ita sanavit, ut praepositionem *cum* ante *barbaris*, quae propter similitudinem locutionis antecedentis *cum Paeto* irrepserat, ejiceret et lectionem codicis Ma. *Corbulo non vitatus* restitueret, nisi quod *Corbulo* in *Corbuloni* e cod. Agr. mutavit: de quo Medicei codicis vitio supra rettuli, ubi de secundo vitiorum genere exposui.

A. XIII, 55. extr. pro vulgata e cod. G. et edd. Put. lectione *solem deinde* (*inde* edd. Spir. Put., *idem* cod. G.) *respiciens et cetera sidera vocans* codd. Ma.A.B. ed. Spir exhibent *despiciens*. Jam vero quum *suspicere* de coelo ac sideribus proprie dicatur, cum Heinsio, Hillero, Doederlino suspicor *suspiciens*; idque verbum facile in scripturam *despiciens* abire potuit, postquam in archetypo scriptum fuit *deinde des;spiciens*, repetita syllaba *de* et syllaba *us* solitum per compendium scripta. Quas turbas neglectio hujus compendii in Taciti libris excitaverit, infra videbis, ubi de tertio decimo vitiorum genere disseram. Ceterum etiam verbum *respiciens* haud ineptum est; cf. Plin. Paneg. 30, 3.

De undecimo vitiorum genere.

Saepius in codd. Mediceis singulae syllabae ultro additae sunt; cujus vitii praecipua est causa, quod librarii sententia non intellecta verba scriptoris paulum corrupta emendare studuerunt [42a]. Interdum tamen nulla manifesta causa monstra verborum ex additis syllabis nata sunt.

Sic lectiones *conditionabundus* Ann. I, 17. et *contentione* Ann. I, 26. et 29. ex archetypi scriptura *contione* et *contionabundus* ortae sunt, praesertim quum Beroaldus, teste Walthero ad I, 17. init., eam scribendi rationem semper fere servaverit, ut Ann. IV, 40.; V, 4. extr. Sane illae corruptelae in cod. M. non legerentur, nisi in archetypo *contio* scriptum fuisset. Etiam Hist. II, 79. lectio codicum *non parata cognitione* ex archetypi

---

42a) Huiusmodi corruptelas in graecis scriptoribus repertas tractavit Sauppius in Epist. crit. §. 11. Neque exempla e vett. Velleii libris a Kritzio Prolegg. p. CIV. collecta huc non pertinent.

scriptura *n. p.* c o n t i o n e vel potius *n. p.* c̄ t i o n e orta esse videtur, quum A. XI, 1. cod. Ma. praebeat *contionem*. A. I, 53. cod. exhibet *imperarem* pro *imparem*; c. 61. *deformides* pro *deformis*; II, 2. extr. *majoribus* pro *moribus;* c. 23. init. *aegestate* pro *aestate;* III, 20. *excincedere* pro *excindere;* c. 26. init. *coërcitationibus* pro *coërcitionibus;* c. 38. *Coelaletae* pro *Coeletae*; c. 76. *operibus* pro *opibus;* IV, 27. *feroricia* pro *ferocia;* c. 74. *pro patibulo* pro *propatulo;* VI, 7. *tractatique* pro *tractique;* c. 28. *aliter esse soside* pro *alites Sesoside*; c. 35. *equites tres* pro *equestris*. A. XII, 1. cod. Ma. exhibet *conjugum imperatoriis* pro *c. imperiis*; c. 43. *subvenientum* pro *subventum;* A. XIV, 2. *dominitationis* pro *dominationis*; A. XV, 4. *inheserantque* pro *inerantque*. C. 56. *Quintilienus* et c. 57. *Quintilianus* pro *Quintianus*, quam lectionem c. 49. omnes codices servarunt et c. 70. cod. Ma. exhibere videtur. C. 64. scriptura cod. Ma. et ed. Spir. *fama societatem cum marito mortis*, quam Doederlino placere miror, videtur orta esse ex archetypi lectione *famā sociate cum m. m.* sqq. pro vulgata *famam sociatae cum m. m.* H. I, 8. lectio codd. Ma.G. ed. Spir. *recenti domino* (*dn̄o* G.) *Romanae civitatis*, a Bachio temere recepta, originem duxit aut ex archetypi scriptura *dōo* i. e. *dono*, quam illi librarii cum compendio *dn̄o* i. e. *domino* confuderunt, aut ex syllaba *mi* voci *dono* temere inserta. Ceterum conf. quae Heinischius in Programm. Gymnas. Glatz. a. 1840. p. 10 sq. contra Bachium disputavit pro vulgata *dono.* — H. II, 16. cod. Ma. habet *juravere* pro *juvare*; c. 65. *exhortationibus* pro *ex orationibus;* c. 76. init. *coronam* pro *coram;* c. 81. *exercitus* pro *excitus;* H. III, 27. *concitisque* pro *contisque;* H. V, 8. *per saxas* vel *per satas* pro *Persas.*

Jure igitur mirabere, quod egregia Ernestii emendatio, qua A. XIV, 17. genuina scriptura Tacito redditur, nemini adhuc placuit. Ibi enim pro vulgata ex cod. G. et ed. Beroaldi lectione *sub idem tempus levi* c o n t e n t i o n e *atrox caedes orta* codex Ma. *i n c e n t i o* vel *i n t e n t i o*, cod. R. et ed. Spir. *i n t e n t i o* exhibent. Et c o n t e n t i o quidem ab hoc loco aliena est. Neque enim quisquam elegantis sermonis gnarus eos, inter quos atrox caedes orta sit, contentione, ne dicam levi contentione, id fecisse dixerit; et quae sequuntur, docent non levi, sed acerrimo certamine inter colonos

Nucerinos Pompejanosque atrocem illam caedem factam esse. Verum quum primo per oppidanam lasciviam invicem lacesserent et cavillarentur, probra etiam ingererent, dein saxa jacerent, postremo ferro certarent, nonne bene dicitur levi initio atrocem caedem ortam esse? Ea enim est Ernestii emendatio. Et alibi quoque hac locutione utitur Tacitus. Cf. locos huic simillimos: H. I, 80. init. *parvo interim initio, unde nihil timebatur, orta seditio prope urbi excidio fuit.* H. II, 68. init. *apud victores orta seditio mediocri initio.* Nec absimilis est horum locorum ratio: H. IV, 50. *discordiae raptu frugum et pecorum inter agrestes modicis principiis jam per arma atque acies exercebantur.* Liv. XXXIV, 1, 1. *inter bellorum magnorum aut vixdum finitorum aut imminentium curas intercessit res parva dictu, sed quae studiis in magnum certamen excesserit.* Tac. A. IV, 32. extr. *non tamen sine usu fuerit introspicere illa primo aspectu levia, ex quis magnarum saepe rerum motus oriuntur.* Litera *i* omissa — de quo mendo videas, quae de septimo vitiorum genere diximus — in archetypo scriptum erat *levi intio.* Itaque emendator aliquis syllabas *ten* et *ne* superscripsit, quo *intentione* legeretur. Alii librarii hanc sententiam assecuti descripserunt *intentione*, ut exhibent edd. Put., alii neglecta syllaba *ne* aut *intentio* aut ex crebra literarum *c* et *t* confusione *incentio* exaraverunt, quidam rursus ex suo ingenio *contentione* emendarunt. Ceterum Bachii emendatio *incendio* etiam Doederlino probata mihi quidem valde displicet. Nam ii ipsi loci, quos ad firmandam illam conjecturam attulerunt, luce clarius ostendunt, tale incendium non posse dici leve: quippe notio ejus adjectivi significationi vocis *incendium* non modo non convenit, sed prorsus repugnat. Sane incendium quidem per translationem tum de animis commotis tum de turbidis rebus dicitur; neque tamen levem quendam motum, sed vehementissimam concitationem aut saevissimas turbas significat. Cf. Cic. de Orat. II, 47. *incendium non oratione solum, sed multo etiam magis vi et dolore concitaras.* Orat. 8, 27. *facile est enim verbum aliquod ardens (ut ita dicam) notare idque restinctis jam animorum incendiis irridere.* Catil. I, 11, 29. *invidiae incendio conflagrare.* Virg. Aen. I, 566. *tanti incendia belli.* Pseudocic. Declam. in Sall. *qui tantum intestinum bellum*

et domesticum urbis *incendium* *extinxi.* Vell. Pat. II, 125. *incendium militaris tumultus.* Quintil. Declam. 12. *incendium annonae.*

H. III, 77. init. varietate lectionis eo adducor, ut archetypum vetustum pro genuina scriptura *pollicitusque, si praesidium acciperet, vacuam arcem* *traditurum*, quam Bekker, Ritter, Rupertius e conjectura restituerunt, *tradi furum* exhibuisse statuam, non ita rara literarum *t* et *f* confusione, de qua mox sub duodecimo vitiorum genere referam. Nam librarii, quum vocem *furum* ab hujus loci condicione alienam esse sentirent, alii alia emendatione verum inde elicere studuerunt. Itaque in codd. Ma.A.B.Oa. (in marg.) ed. Spir. addita syllaba *tu* scriptum est *tradi futurum*, contra in libris familiae Genuensis G.H.O.Oa. (a pr. m.) edd. Put. sqq. ad Bipontinos et novissime in Kiesslingii editione *furtim traditurum* legitur. Hi enim genitivum plur. vocis *fur* in adverbium *furtim* mutarunt idque transposuerunt. Quae tamen lectio ob transpositionem verborum, et quia deteriorum illorum codicum nulla fere est auctoritas, speciem emendationis a sciolo librario tentatae prae se fert. Et ea est loci condicio, ut per se constet, a servo arcem non palam aut tradi potuisse aut traditam esse. Neque id, quod H. IV, 56. verbum *pollicitus* reperitur et postea in fine ejus capitis adverbium *furtim* occurrit, quidquam conferre potest ad firmandam lectionem *pollicitus* . . . . *furtim traditurum*; quamquam Kiesslingius argumentum inde petiisse sibi videtur. Nullo modo enim illud *furtim* cum Labeonis promissis cohaeret, et eodem jure aliquodpiam vocabulum ex illo loco huc transferre potes. Ac ne eadem quidem vis in adverbio *furtim* utroque loco inesset; quippe Tacitus idem in Germania factum esse memorat, quod Livius XXIX, 6. apud Bruttios: *latrociniis*, inquit, *magis quam justo bello in Bruttiis gerebantur res.* Idem Tacitus l. l. hisce verbis significat: *et furtim magis, quam bello Canninefates Marsacosque incursabat.* Ceterum usus infinitivi fut. act. *traditurum* et ellipsis pronominis *se* et verbi substantivi *esse* loco a Kiesslingio allato firmarentur, si modo exemplis ejus structurae opus esset. Ibi enim haec leguntur: *pollicitusque, si praesidium daretur, iturum in Batavos et potiorem civitatis partem ad societatem Romanam retracturum.* Rursus altera lectio

tradi futurum, quam Bipontini, Oberlinus, Walther, Bachius revocarunt, latini sermonis legibus adversatur. Walther quidem ita conjungi jubet: *pollicitus futurum* (scil. *esse*) *vacuam arcem tradi;* quod putat dictum pro *futurum ut vacua arx traderetur.* Sane mira in ponendo infinitivo licentia, ut ipse Walther fatetur; qua quidem Tacitum usum fuisse mihi non persuasit. Quis enim est, qui *futurum esse aliquid tradi* dixerit pro *futurum esse s. fore, ut aliquid tradatur* sive pro *aliquid traditum fore s. iri?* Cf. Ramshorn. Gr. Lat. §. 168. n. 5. p. 630. sq.

H. V, 26. idem vitium additae insuper syllabae in vulgata e cod. G. et edd. Puteol. [43]) lectione reprehenderim. Ibi enim hodie scribitur *hoc Primo Antonio notum, cujus epistolis ad bellum accitus sum* pro scriptura cod. Ma. *actus,* quam Ritter et Rupertius bene recepisse mihi videntur. Civilis enim utpote rebellionem excusaturus melius ea in re procedit praetendendo, se ad bellum actum esse, quam si accitum tantum se esse dicit. De locutione *ad bellum agi* cf. A. XIV, 32. extr. *'provinciam avaritia in bellum egerat.* H. I, 62. *exercitum in bellum agebat.* H. III, 53. *se Pannonicas legiones in arma egisse.* H. I, 11. *in odium agi.* H. II, 38. extr. *illos eaedem scelerum causae in discordiam egere.* H. III, 33. *in perniciem agi.*

De duodecimo vitiorum genere.

Hoc genus varias literarum commutationes complectitur, quarum potissimas ex ordine literarum deinceps enumerabo. Et primum quidem vocalis *a* cum diphthongo *au* in codd. Mediceis permutata est [44]); quo factum est, ut quemadmodum in ceteris Ta-

43) Horum tantum librorum scripturam attuli, quia codd. R.V. 1863. et ed. Spir. in verba *magnitudine potiorem* c. 23. desinunt, itemque codd. A.C. desinere consentaneum est, quippe quum ab illis inde verbis nulla lectionis varietas ex iis libris enotata sit. Ex reliquis codicibus nihil de hoc loco prodiderunt viri docti; quod tamen parvi intereet, quoniam praeter cod. Vat. 1864. omnes ad familiam Genuensem referendi sunt.

44) Sic Martial. XIII, 65, 1. optimus codex Vossianus a Schneidewino litera R. signatus praebet *asomis* pro *Ausoniis.*

citi libris Mstis, ita in Mediceis vocabula *actio* et *auctio*, *actor* et *auctor*, *actus* et *auctus*, *agere* et *augere* frequentissime confunderentur. Exempla collegit Walther in Ind. Annotatt. Vol. IV. sub vv. cc.; quibus haec addas: H. III, 12. ed. Spir. praebet *actorem* pro *auctorem*; Dial. 26. codd. Vatt. *temporum nostrorum auctores* exhibent pro vulgata e codd. Farn. Neap. lectione *t. n. actores* [45]. Similiter A. XIII, 51. in codd. B.G. edd. Spir. Put. Beroald. (c. silent. Victor.) *ex auctionibus* pro vulgata ex conjectura Rhenani scriptura *exactionibus* legitur. Cod. O. exhibet *ex auctione*, Oa. *ex auctoribus*. — Porro A. IV, 74. extr. codex *infastae amicitiae* pro *infaustae amicitiae*, et H. II. 23. cod. Ma. *notus infastusque* pro *notus infaustusque* praebet; quare A. V, 4. lectionem codicis *festisque in Caesarem ominibus* ex prava scriptura *fastisque* sqq. ortam puto atque emendationem Ursini et Ernestii *faustisque* sqq., quam Bekker, Ritter, Doederlinus receperunt, perquam probo. A. XIII, 32. cod. Ma. exhibet *Platio* pro *Plautio*; A. XV, 36. *auditurus* pro *aditurus* [46]; H. II, 8. *afugeret* pro

---

45) Ita Jacobus in Obss. ad Tac. H. critt. II. p. 11. sq. et Doederlinus in Emendatt. Tac. Erlang. 1844 p. 3. locum H. III, 2. optime correxerunt sic rescribendo: *nisi quis retinet, idem suasor actorque consilii ero* pro vulgata lectione *n. q. r., i. suasor auctorque c. e.* Ille haec disputavit: *auctor consilii is est, a quo primo proficiscitur, suasor vero is, qui secundas agit adiutor. Cur igitur hunc illi praeposuit? Profecto si suasore praemisso duo se munera eundem recipere dicebat, non auctorem addidit, sed diversa quaedam conjunxit. Deinde vero quis aliquem, postquam semel consilium preprosuit, ne auctor sit, retinebit? Quid, quod omnino ille auctor non erit, sed fuerat?* Doederlinus attulit locos e Cic. Sext. 28, 61. *dux auctor actorque illarum rerum fuit*, et e Corn. Nep. Attic. 3. *hunc enim in omni procuratione reipublicae actorem auctoremque habebant.* Adde Caes. B. G. I, 26. *illo auctore atque agente.* Vell. II, 83, 1. *obscoenissimarum rerum et auctor et minister.* Ceterum subtiliter annotavit Tacitum hanc ipsam paronomasiam *auctor actorque* ut nimio usu tritam aspernatum esse. Simile mendum in Symmachi Laudibus in Valentin. §. 22. correxit Heindorfius p. 28. ed. Berol. *actore* pro *auctore* conjiciendo.

46) Universe verba *audire* et *adire*, *auditus* et *aditus* in codd. saepe

aufugeret; H. IV, 40. *Junius Maricus* pro *Junius Mauricus*, C. 46. *pauri causa* in cod. Ma. scriptum est aut pro *pari causa*, aut pro *pari* *i* (i. e. *in*) *causa*. Illud ex ed. Spir. revocarunt Bachius et Rupertius, probavit Petersenius in Annotatt. in Tac. Specim. II. p. 19 [47]), hoc emendavit Walther, in textum receperunt Bekker et Kiesslingius. Ante Bekkerum vulgabatur *in pari causa* e cod. G. et edd. Puteolani. Equidem incertus sum, utrum Bachio an Walthero assentiar. C. 56. codd. Ma. G. exhibent *gladius labeo* pro *Claudius Labeo*. Earundem vocalium confusione nititur emendatio Petersenii (Annott. in Tac. Specim. II. p. 3.), qui A. XII, 41. extr. vulgatam codd. scripturam *optimum quemque educatorem filii exilio ac morte afficit* in *exilio aut morte a.* mutavit. Solet enim Tacitus ad has notiones cum distinctione ac distributione aliqua conjungendas particula *aut* uti; cf. locos a Petersenio allatos: A. VI, 9. *ut accusatores ejus exilio aut morte multarentur*; A. III, 24. *adulterosque earum morte aut fuga punivit.* Plura de hac significatione particulae *aut* docuerunt Walther ad A. I, 8. et Bötticher Lex. Tac. p. 76. In vetusto aliquo archetypo *at* pro *aut* scriptum fuisse suspicor, unde frequentissima permutatione *ac* in nostros codd. transierit, quum praesertim particulae *at* nullus sit locus. Et frequens est particularum *aut* et *ac* confusio, cujus exempla e Taciti libris Mstis collegit Walther in Indice Annott. s. v. *aut*. — H. IV, 60. codd. Ma.B.R. ed. Spir. exhibent: *dat custodes, qui pecuniam . . . retentarent at qui ipsos . . . . prosequerentur*; quam ob rem cum Walthero, Bachio, Rupertio, Petersenio l. l. lectionem codd. G.H.O.Oa, edd. Put. sqq. ad Rhenan. *aut qui* revocare malim, quam vulgatam e conjectura Rhenani scripturam *ac qui* retinere. Cf. A. IV, 62. *spectaculo intentos, aut qui circum astabant, praeceps trahit operitque.* Minus quam vulgata displicet lectio cod. A. a Ryckio et Bipontinis recepta *et qui*. Solet enim Tacitus in talibus enuntiatis formula *et qui* aut *quique* uti. Nusquam vero me apud illum *ac qui* legisse memini, et universe litera *c* ante *q* perraro a Latinis po-

---

confundi docuerunt Burmann. ad Suet. Tib. 27. et Drakenb. ad Liv. LXXXII, 2.

47) Probavit et Jacobus l. l. II. p. 25.

nitur. Cf. Ramsh. Gr. Lat. p. 806. et Haasii not. 409. ad Reisigii Gr. Lat. §. 234. De frequenti particularum *at* et *aut* confusione [47a]) v. Hand. Tursell. Vol I. p. 451. Drakenb. ad Liv. III, 56, 12. Kreyssig. ad Liv. XXXIII, 40. p. 99. Kritz. ad Vell. II, 105, 2. p. 443. sq.

Langobardica scriptura literarum *a* et *t* eosdem fere ductus praebet, ut interdum eae literae discerni nequeant aut certe vix possint [47b]). Summa ea similitudo imprimis conspicua est in speciminibus codicis Ma., quae Mabillonius in libro de Re Diplomatica tab. V. no. 3. p. 353. et docti Benedictini in opere diplomatico, quod inscribitur *Nouveau traité de diplomatique*, Tom. III. tab. 49. coll. p. 278. sq. ediderunt. Quo etiam factum est, ut ad H. I, 65. extr. Jac. Gronovius teste Ryckio *si fortuna c̄traderet* (i. e. *contraderet*), Furia *s. f. c̄araderet* e cod. Ma. pro vulgata *s. f. contra daret* proderent [48]). A. XI, 14. init. codd. et edd. vett. habent

---

47a) Ex eadem confusione orta est H. I, 56. extr. scriptura cod. R. et ed. Spir. *ad bellandum* pro *aut bellandum*.

47b) Ita factum est, ut Varr. de. L.L.X. §. 24. p. 244. ed. Muell. p. 165. ed. Bip. pro vulgata codicis F. lectione *alia* in G. *alit*, in H. *aliter*, in a. *abit* scriberetur. Similiter Mart. VI, 34, 3. codex R. exhibet *Et maris tegens* (corr. *tegei*) *sparsas per litora concas* pro vulgata *Et maris Aegaei s. p. l. conchas.* Quodsi priores editores Dialogi de Oratoribus harum literarum confusionem respexissent, operam et oleam non perdidissent, c. 23. modo *tui Aufidii Bassi*, modo *T. Aufidii Bassi* e corrupta codd. Neap. Paris. Perizon. et ed. Spir. lectione *tui fidi bassi* eliciendo. Orellius demum et Rupertius et Walther genuinam scripturam *Aufidii Bassi* restituerunt.

48) Quodsi hanc collationum discrepantiam simulque summam literarum *a* et *t* similitudinem reputasset Jacobus, non censuisset in Obss. ad Tac. H. Part. I. p. 18. *si fortuna contra caderet* corrigendum esse. Vulgata lectio certo etiam vera est, praesertim quum A. XV, 13. Tacitus eadem locutione usus sit: *quotiens fortuna contra daret.* Lectionem *contraderet*, quam etiam cod. C. servavit, jam in vetusto archetypo extitisse, ob scripturam cod. A. *contra cederet* et cod. R. ed. Spir. *contradiceret* verisimile est; eamque ex continua scriptura *contradaret* ortam esse puto. Quippe verbum *tradere* animo stolidi librarii obversabatur.

et antiquissima monumenta pro vulgata *ea a. m.* [48a]. A. XVI, 17. Pichena pro vulgata lectione *Rufum autem Crispinum* edidit *Rufum tamen Crispinum*, ut ait, cod. Florentino volente, Jac. Gronovius rursum *aū* i. e. *autem* ibi legi docuit, denique Bekker, incertum an e nota Furiae, scripsit: *ambiguus Ma., utram habeat particulam.* Ex eo intelligitur, in Ma. literas illas ita exaratas esse, ut dubium sit, utrum *tn̄*, an *aū* sit legendum. Sed quum reliqui codd. et edd. vett. *autem* et *aut* praebeant, vulgata lectio vera esse mihi videtur. Accedit, quod teste Jac. Gronovio in cod. Ma. particula *tamen* solet notari compendio *tam̄*, cujus exemplum affertur e cap. seq.: *Proconsul tam̄ Bithyniae.* Addas e specimine initii libri X. Metamorphoseon Apuleji ab eodem librario codicis Ma. descripti, quod auctores operis diplomatici modo allati Tom. III. tab. 49. (coll. p. 278. sq.) ediderunt, haec verba: *ne tam̄ miles ille* sqq. Ob eam literarum *a* et *t* similitudinem etiam H. II, 20. Jac. Gronovius et Victorius *uxorem aū* (i. e. *autem*) *ejus Saloninam*, Furia *uxorem tū* (i. e. *tum*) *ejus Saloninam* e cod. Ma. prodiderunt. Inde et factum est, ut Furia in cod. Ma. A. XIII, 25. *Nero tum* (i. e. *tū*) *metuentior* pro vulgata scriptura *Nero autem* (i. e. *aū*) *metuentior*, quam ceteri libri scripti et edd. vett. firmare videntur [48b], et A. XV, 50. extr. *augurinum* pro vulg. *Tugurinum* legeret. Supersedere igitur possumus emendationibus Petersenii et Rupertii, quorum ille l. l. II. p. 5. priore loco *tamen*, hic altero *Augurinum* corrigendum censuit.

Literae *a* et *u* saepe sunt confusae: eae enim simillimos interdum praebent ductus, ut in Servii cod. Cassellano saec. IX. et in cod. Vaticano Hilarii saec. VI. scripto, ex quo scripturae specimen ediderunt Mabillonius de Re Dipl. p. 355. et docti Benedictini in libro modo laudato Tom. III. p. 263. Haec sunt exempla [49]:

48a) E contrario Varr. de L. L. VIII. §. 78. init. p. 193. ed. Muell. p. 123. ed. Bip. codicis F. lectio *ea si proportione essent verba* vulgabatur ante Muellerum, qui ex codd. G. H. a. rescripsit *et s. p. e. v.*, coll. annot. ad §. 68.

48b) Item Ter. Hec. III, 2, 10. in antiquo libro Faërni *autem* (i. e. *aū*) pro *tum* (i. e. *tū*) scriptum erat.

49) Eius confusionis exempla e vett. Velleii libris dedit Kritzius Proll.

A. I, 51. codex habet *gnaram* pro *gnarum*; A. II, 20. *plane venerunt* pro *plana evenerant*; c. 57. *discesserantque* pro *discesseruntque*; A. III, 54. *clamitabant* pro *clamitabunt*; A. IV, 34. *vocabulum ponuntur* pro *vocabula inponuntur*; c. 63. *manus* pro *munus*. A. XIII, 21. cod. Ma. exhibet *concubinam* pro *concubinum*. C. 52. init. codd. et edd. vett. praebent *habuerunt* pro *habuerant*. H. II, 3. init. cod. Ma. teste Furia *ueriam* habet pro *Aeriam*; H. IV, 52. *mansurum* pro *mansuram*. C. 72. lectio codd. Ma. B. ed. Spir. *consultatio* ex scriptura archetypi *consulutatio* pro vulgata *consalutatio* orta esse videtur. Ita A. XI, 26. Victorius *urguebat*, Furia *arguebat* e cod. Ma. pro vulgata scriptura *urgebat* prodidit. H. I, 63. Pichena *raptisue*, Furia *raptisae* in eodem codice legit.

Itaque A. VI, 29. vulgatam codicis scripturam *quia male administratae provinciae aliorumque criminum urgebatur* in *arguebatur* haud cunctanter mutandam cum Ernestio censeo. In vetusto enim archetypo, unde cod. Mediceus descriptus est, antiqua scribendi ratione *urguebatur* i. e. *urgebatur* pro *arguebatur* exaratum fuisse conjicio. Universe quippe forma *urguere* cum in aliis codicibus frequens [49a]), tum librario codicis Ma. solita [50]), etiam in archetypo illo, unde uterque codex Mediceus originem traxerit, extitisse mihi videtur. Jam vero librarium codicis M., quippe qui eam scribendi rationem sequeretur, ut constanter *urgere* [51]), non

p. LXXXVII. et XCI.; cf. etiam Scioppii de Arte Critica comment. (Norib. a. 1597. 8.) s. vv. *a pro u* et *u pro a*. Sic Varr. de L.L. VI. §. 2. p. 73. ed. Muell. p. 52. ed. Bip. in codd. legitur *liberam* pro *liberum*, et VIII. §. 83. p. 195. Müller bene rescripsit *at nominantur* pro codicum lectione *ut n.*, cuius ansam dederat praecedens particula *ut*. Martial. Supp. I, 1. p. 632. ed. Schneidew. codex Thuaneus habet *rare* pro *rure*; Epigr. I, 21, 6. cod. R. *specture* pro *spectare*.

49a) Sic Virg. Georg. II, 352. vulgatur ex antiquissimo Mediceo codice forma *urguerent*, de qua plura disseruit Drakenb. ad Sil. Ital. VI, 265. Similiter Martial. II, 77, 2. antiquissimus codex Thuaneus cum Palatino aliisque exhibet *unguendis axibus* pro *ungendis axibus*.

50) Cf. annotatt. Waltheri ad A. XII, 43. XV, 58. H. IV, 41. Addas haec exempla: A. XII, 12. Hist. II, 30.

51) Ea enim forma cum silentio Pichenae, Jac. Gronovii, Franc.

urguere exararet, formam *urguebatur* (id enim verbum literis *a* et *u* confusis pro *arguebatur* in archetypo legerat) more suo in *urgebatur* mutasse consentaneum est. Verbum *arguebatur* et sententiae et grammaticae rationi et usui Taciteno aptissimum, quippe quod praeter cetera Tacito usurpetur. Cf. A. III, 33. *quotiens repetundarum aliqui arguerentur;* c. 53. *qui pudendi luxus arguerentur;* A. IV, 10. *Drusum veneni in patrem arguens.* Alia exempla reperiuntur A. II, 50. III, 14. 41. extr. IV, 12. 37. V, 8. XIII, 27. etc. E contrario vulgatam lectionem diverso modo defendere parum feliciter conati sunt interpretes, Oberlinus verbum *urgere* idem esse atque *instantius accusare* opinatus, Walther genitivum part. fut. pass. finalem et genitivum a Graecis cum verbis lugendi junctum afferendo, Doederlinus vocem *criminatione* supplendo, Poppo [52]) denique locutionem *criminum postulare* et graeca διώκειν, ἐπεξιέναι ἐγκλήματος comparando. Quorum tamen nemo rem acu tetigisse mihi videtur. Primum enim verba *urgere, premere, vexare* alius sunt notionis ac verba accusandi, inter quae et *arguere* et *postulare* et graeca illa διώκειν et ἐπεξιέναι numeranda sunt: quamquam is, qui aliquo crimine urgetur, ejusdem criminis arguatur necesse est. Eodem igitur jure, quo *criminis alicujus urgeri*, diceres *aliquid abundare*, quippe quum necesse sit, ut is, qui aliqua re abundat, eam habeat. Sin Tacitus verbum *urgebatur* usurpare voluisset, scripsisset potius: *Male administratae provinciae aliisque criminibus urgebatur.* Cf. H. IV, 41. *Sariolenum recens crimen urgebat;* c. 43. *Crimine . . . Eprium urgebat.* Deinde, si quid recte sentio, exemplum genitivi, quod Walther attulit ex A. II, 59.: *Aegyptum proficiscitur cognoscendae antiquitatis*, ab hujus loci condicione ac ratione alienum est, id quod Poppo l. l. docuit. Nam geni-

---

Furiae hisce fere locis vulgatur inde a Beroaldo: A. I, 29. *urgeat;* II, 23. extr. *superurgente;* c. 38. *urgere;* c. 59. *urgeret;* c. 70. *urgere;* c. 84. extr. *urgeret;* III, 17. *urgente;* IV, 66. extr. *urgentium;* V, 3. init. *urgens;* VI, 4. *urgente.*

52) Vide censuram editionis Waltherianae in Diariis univers. litt. Hal. a. 1833. ab eo scriptam no. 163. Vol. III. p. 88.

tivus ille part. fut. pass. consilium, finem, voluntatem exprimit, ut graece genitivus articuli cum infinitivo juncti: quippe illud idem est, ac si Tacitus dixisset: *Aegyptum proficiscitur, ut antiquitatem cognosceret* [53]. Verum hoc loco neque de consilio aut voluntate sermo est, neque part. fut. pass. legitur. Nec magis huc pertinet genitivus graecus, quem Walther attulit ex Xenoph. Cyrop. V, 2, 7. Τὴν θυγατέρα .... πενθικῶς ἔχουσαν τοῦ ἀδελφοῦ τεθνηκότος. Inde enim, quod graeca verba lugendi genitivum regunt, nemo certe colliget, latinos scriptores verba urgendi cum genitivo conjunxisse. Postremo si cum Doederlino ellipsin vocis *criminatione* statueres, omnem modum, qui ellipsis usui est positus, egredi auderes. Nequaquam enim talis ellipsis tolerari potest, nisi locus hunc in modum constituitur: *male administratae provinciae aliisque criminibus urgebatur*, ut ex *criminibus* singularis *crimine* ad genitivum *provinciae* intelligatur. Tum lectio codicis *aliorumque criminum* inde orta foret, quod horum verborum terminationem praecedenti genitivo *male administratae provinciae* stolidus librarius assimilarit. Vide quae de secundo vitiorum genere supra disserui. Equidem tamen emendationem Ernestii praetulerim ut leniorem.

Ex ea, quam diximus, confusione illud quoque vitium ortum est, quod librarii Medicei tertiam personam plur. perf. et plusquamperf. temporis nonnunquam permutarunt [54]. Ut omittam locos supra allatos, A. XII, 31. codd. et vett. edd. ad Ernestium usque et nuper edd. Kiesslingii, Waltheri, Bachii, Ritteri, Rupertii, Doederlini exhibent *caesis qui restiterunt, disjectos consectatus ... detrahere arma suspectis .... parat* pro lectione ed. Spir. *caesis qui restiterant*, quam Ernest., Brot., Bipont., Oberl., Bekker probarunt, quamque usus loquendi poscit. Cf. A. I, 38. extr.

---

53) De hoc usu genitivi part. fut. pass. vide Ramsh. p. 652, Zumpt. §. 764 ed. VII., Reisig. §. 428 et annotationes virorum doctorum, quas commemoravit Haasius ad Reisigii librum not. 586.

54) Similiter Mart. XII, 3, 18. codex Thuaneus habet *clamabant* pro *clamabunt*. Multam in codicibus Varronis confusionem indicativi et coniunctivi, ex literarum *a* et *u* similitudine ortam, tangit Odofr. Mueller Praef. p. XXII.

deterritis, qui obstiterant; A II, 17. *duo hostium agmina diversa fuga, qui silvam tenuerant, in aperta, qui campis adstiterant, in silvam ruebant;* A. XIII, 54. extr. *captis caesisve, qui pervicacius restiterant;* Agr. 36. *stratis, qui in aequo adstiterant.* Quippe homines Itali aut Francogalli pro recentiorum linguarum ingenio atque usu ad permutandum perfecto plusquamperfectum tempus proni erant [55]. Duo autem loci, quibus Walther perf. tempus tueri conatus est, ab hujus loci condicione alieni sunt. Etenim A. I, 53. s. v. *scripsit* et VI, 31. s. v. *imposuit* res, quae in enuntiato per relativum pronomen annexo, quaeque in primario referuntur, non tam arcto consequentiae vinculo inter se conjunctae sunt, ut ordinem temporis expresse significari ac servari necesse sit. Potuit igitur Tacitus illis locis tempore historico absoluto uti. Contra A. XII, 31. certamen resistentium et caedes ea continuatione ac serie facta sunt, ut alterum ex altero nexum et ambo inter se apta colligataque viderentur. Quare ibi relativo tempore historico eoque plusquamperfecto opus est. Tertio denique, quem attulit Walther, loco (is legitur A. II, 62.) codex non *transtulit*, sed *transtulat* praebet; itaque recentissimi editores praeter Rupertium Ernestii emendationem *transtulerat*, qua syllaba *er* propter compendium ' vel ~ omissa restituitur, tuto receperunt. Neque ad praeferendam formam *restiterant* nihil momenti affert subtilis observatio, quam de discrimine inter terminationes tert. pers. plur. perf. temp. *erunt* et *ere* apud Tacitum statuendo protulit Haasius in Zimmermanni Diariis antiq. litt. a. 1836. no. 84., repetiit atque in Sallustium etiam transtulit in not. 269. ad Reisigii Gramm. Lat. §. 143.; quamquam non singulis quibusque sententiis aut emendationibus subscripserim. Ut unum afferam, et Tacitus et Sallustius formam *erunt* apud conjunctiones *postquam*, *ut*, *ubi* admisisse

---

55) Quo factum est, ut H. III, 80. in libris familiae Genuensis scriberetur *qui Petilio Ceriali occurrerunt, extremum discrimen adiere;* sed quum libri familiae Romanae, inter quos cod. Ma., *occurrerant* praebeant, et in fine cap. sine ulla lectionis varietate legatur *aequioribus animis accepti sunt, qui ad Antonium venerant,* et usus loquendi plusquamperf. tempus quodammodo poscat, recentiores editores inde ab Ernestio scripturam *occurrerant* recte praetulerunt.

videntur. Cf. Tac. H. II, 55. init. *ut . . . . . certi auctores in theatrum attulerunt, Vitellio plausere;* Agric. 37. *postquam silvis appronpinquarunt . . . . circumveniebant;* Sall. Cat. 45, 3. *postquam . . . venerunt et simul utrimque clamor exortus est, . . . Galli se tradunt;* Jug. 87, 4. *ubi cognoverunt . . . abeunt;* quamquam non nescius sum, postremo loco codd. Sallustii inter se dissentire, plurimos tamen vulgatum perfectum praebere. Quos locos ob mirum consensum equidem haud mutaverim, quamvis ex Haasii sententia aut formam *ere* aut plusquamperfectum expectemus. Ceterum ut huic usui formae perfecti temp. praes. aliquid lucis afferas, compares particulam *dum* in secundariis enuntiationibus, quibus narratio rei actae continetur, cum praes. indic. iunctam.

De literis ę (i. e. *ae*) et *e* saepissime cum in aliis codicibus tum in Mediceis inter se permutatis non est, quod multa dicam. Res trita est. Id tantum commemoro, saepius literam *e* pro *ae* scriptam esse quam vicissim; cujus rei causam facile intellexeris. Quippe hamulus, qui literae *e* suppositus diphthongum *ae* indicat, facilius omittitur, quam additur. Cf. praeterea Goeschen. Praef. ed. Gaii p. XXXXVII. not. 39. et Schneider. Gramm. Lat. I. p. 52. sqq.

Sequitur frequentissima literarum *b* et *v* confusio [56]. En exempla: A. I, 36. codex *sibi* praebet, quod ex scriptura *sibe* pro *sive* ortum esse videtur. A. II, 26. cod. M. *Suebos* pro *Suevos*, et H. I, 2. cod. Ma. *Sueborum* pro *Suevorum* exhibet [57]. A. II,

---

56) Eae literae in aliis quoque codicibus confunduntur. A. XIII, 14. cod. G. cum ed. Spir. *beneficium* praebet pro *veneficium*, c. 42. cod. C. *libere* pro *livere*. Idem vitium frequens in optimis codd. Martialis: Epigr. IV, 73, 3. codd. X.A.B. (a pr. m.) exhibent *orabit* pro *oravit;* VII, 58, 2. codd. iidem *iubat* pro *iuvat;* VII, 97, 11. codd. X.A.B.G. *sonavit* pro *sonabit;* XII, 82, 13. codd. A.B.V. *laudavit* pro *laudabit;* XII, 83, 1. codd. A.G. *Favianus* pro *Fabianus;* XIII, 75, 1. codd. R.X.A.B.P. *volavit* pro *volabit;* XIII, 84, 2. libri ejus familiae, quam Schneidewinus literis *C, a* notare solet, *bile* pro *vile* praebent. Cfr. praeterea Scioppii de arte critica comment. s. vv. *b pro u* et *u pro b* et Od. Muelleri Praef. ed. Varron. p. XXII. et Goeschen. ed. Gaii Praef. p. XXXXVII. not. 40.

57) Ita German. 41. init. lectio longe plurimorum codicum *pars verborum* inde orta est, quod in archetypo illo, unde omnes Germaniae codices fluxerunt, *pars ueborum* pro *pars suevorum* scriptum

30. lectio cod. *Livius* ex scriptura archetypi *Vivius* pro *Vibius*, quae A. XIV, 28. in cod. Ma. occurrit, originem traxit. A. II, 63. *Danuvium* pro *Danubium* et IV, 18. extr. *veneficia* pro *beneficia* legitur in codice. A. XI, 6. cod. Ma. exhibet *cogitabissent* pro *cogitavissent*, et c. 8. *Bardanen* pro *Vardanen*. C. 19. cod. Ma. exhibet *immunibit* pro *immunivit*. Ita A. XI, 10. lectio codd. Ma. Vat. *habeat*, librorum scriptorum Lipsii et editionis Spir. *habebat*, codicis R. *hebat* originem traxit ex scriptura *abebat*, quae ad vulgatam ex Lipsii conjectura lectionem *avebat* manum ducit. A. XI, 35. *habitum*, A. XIII, 34. *habitas*, c. 56. *habitus*, A. XIV, 18. *habitos* in cod. Ma. legitur, quippe quum in archetypo *abitum*, *abitas*, *abitus*, *abitos* pro *avitum*, *avitas*, *avitus*, *avitos* scriptum fuisse videatur. A. XII, 40. cod. Ma. pro vulgata codicis A lectione *e Brigantum civitate* exhibet *evigantum civitate*. A. XIII, 10. *fabor* pro *favor*; c. 28. *Bibullium* pro *Vibullium*. A. XIV, 7. scriptura cod. Ma. *illos inbidie*, quam in archetypo quoque extitisse e lectione cod. R. et edd. Spir. Put. *illos invidiae* colligas, inde orta videtur, quod librarius archetypi vocem *invidiae*, quam in lectione *illos ibidie* ab eo codice, unde archetypum ipsum fluxit, exhibita latere putabat, ita exarabat: *inbidie*. Itaque bene correxit Rhenanus *illo sibi die*, neque emendatione Petersenii opus est. Is enim in Annott. ad Tac. Spec. II. p. 7. conjecit *illo sibi in die*. At exempla additae praepositionis *in*, quae attulit e Cic. N. D. II, 40. *in singulis annis*, e Tac. A. XV, 7. *eo in tempore*, e Quintil. II, 4, 4. *in his discentis annis*, ab hujus loci ratione aliena sunt. Sunt enim tres tantum condiciones, quibus ad tempus, quo quid factum sit, significandum, praepositio *in* aut adhibetur aut certe admittitur: id fit primum, quum spatium ac diuturnitas temporis, inter quod aliquid factum sit, vel decursus temporis, intra quod factum sit, definitur, deinde, quum ratio condicioque temporum, non tempus ipsum signi-

---

fuisse videtur. Praeter literas *b* et *v* commutatas altera *s* absorpta erat. Ceterum in libris Mstis nomen *Sueborum* saepe legi, docuit Burm. ad Claudian. p. 1019; v. et Jul. Honor. Cosmogr. p. 13, quem commemorat Trossius ad h. l. Etiam Agric. 28. in altera Puteolani editione scribitur *Suebis*.

ficatur, postremo, quum opportuno tempore rem aliquam factam esse dicitur. Cf. Haasii notam 567. ad Reisigii Commentarios de Gramm. Lat. §. 398; qui tamen locutiones, *in die*, *in anno*, *in hora* leviter tantum in transitu attigit: de quibus vide Ruddim. II. p. 290. not. 8. et Ramsh. Gr. Lat. §. 148. not. 4, g. p. 458. Jam vero tribus illis locis a Petersenio allatis praepositione *in* spatium temporis significatur, inter quod res, de quibus auctores referunt, factae sint. Primum quidem locum Reisigius l. l. jam explicavit, secundum vero, qui Tac. A. XV, 7. legitur, Haasius l. l. cum aliis talibus (v. A. XI, 29. XIII, 47. XV, 39.), ubi item *eo in tempore* scribitur, perperam ad alteram illam condicionem rettulit. At ibi non de statu ac ratione temporum, sed de spatio temporis usurpatur ea locutio. Ceterum pro lectione *illo sibi die* faciunt hi loci: H. I, 43. init. *insignem illa die virum Sempronium Densum nostra aetas vidit;* H. IV, 46. *isque finis illa die.*

A. XV, 23. cod. Ma. exhibet *Jobis* pro *Jovis* et *Vobillas* pro *Bovillas;* c. 24. *adprovatam vim* pro *adprobatam vim.* A. XVI, 1. *mente turvida* pro *m. turbida;* c. 22. *Fabonios* pro *Favonios;* c. 23. et 30. *Savinus* pro *Sabinus.* H. I, 1. *libor* pro *livor;* c. 6. *barrone* pro *Varrone*; H. II, 58. pr. *alvino* pro *Albino.*

Literae *b* et *d* ut in aliis codd. Mstis [58]), ita in Mediceis saepe confusae sunt. Sic A. I, 10. codex pro *abducta Neronis uxor* praebet *adducta N. u.*; c. 19. pro *ab sedecim annis* exhibet *ad sedecim a.*; A. II, 4. *Ariobarzane morte fortuita ad-*

58) Ita in codd. Mstis Taciti confundi solet *abditus* cum *additus*, *abducere* cum *adducere*, *abripere* cum *adripere*, *absumere* cum *adsumere*, *avehere* (quasi *abvehere*) cum *advehere*, *aversari* (quasi *abversari*) cum *adversari*, *aversus* cum *adversus*. Cf. Waltheri Ind. annott. sub his vv. Sic Vell. II, 20, 1. in ed. pr. et apogr. Amerb. *ad* legitur pro *ab*. Martial. VIII, 56, 13. cod. Palatinus (t. Grutero) *abstabat* exhibet pro *adstabat*. Mart. IX, 41, 8. editio Romana a. 1473. eaque, quam Scriverius principem dicit, *gaudia feba* pro *gaudia foeda* (*feda*) praebent. Denique XIII, 84, 1. in codd. X.C. *abesus* legitur pro scriptura codd. T. A. B. G. P. *adesus* aut *adhesus;* ubi Schneidewinus *adesus* recte praetulit vulgatae *obesus* quae ex lectione *abesus* originem traxerat. Alia vid. in Kritz. Prolegg. ad Vell. Pat. p. LXXXVII. et in Sciopii de arte crit. comment. s. vv. *d pro b*.

sumpto pro vulg. *A. m. f. absumpto;* c. 31. *adstitit* pro *abstitit;* c. 37. extr. *absequentur* pro vulg. *adsequentur;* A. III, 5. *deditos honores* pro *debitos h.;* A. IV, 35. *adolevit* pro *abolevit.* A. XIII, 56. lectio codd. Ma. B. *asistentibus*, editionum veterum *assistenbibus* orta est ex archetypi scriptura *adsistentibus*, quam cod. G. servavit, pro vulgata ex Rhenani emendatione lectione *absistentibus*, sicut e contrario A. XIV, 15. cod. Vat. Lipsii et ed. Spir. *absistentibus* pro *adsistentibus* exhibent. A. XIV, 15. lectio codd. et edd. vett. *abscesserat* originem traxit ex genuina scriptura *adcesserat* s. *accesserat;* c. 16. codd. Ma. B. (a pr. m.) R. praebent *ablatos* pro vulgata *adlatos* s. *allatos.*

Quae quum ita sint, non dubito H. II, 21. lectioni codd. Mstorum et edd. vett. *nox parandis operibus adsumpta* emendationem Mureti *absumpta* a Lipsio ac Pichena haud improbatam, a Gronoviis, Ernestio, Broterio, Bekkero, Rittero, Kiesslingio in textum receptam praeferre. Nam ex codd. scriptura sententia esset haec: noctem diurno labori parandorum operum finem non attulisse, sed quum dies defecisset, ad opera perficienda assumptam esse. Cf. Cic. Epp. ad Fam. VII, 25. *equidem aliquantum jam etiam noctis assumo.* At nulla omnino mentio fit apud Tacitum, per eundem diem, quo Vitelliani in Placentiam impetum frustra fecissent, etiam opera parata esse. Immo si ea verba, quae initio capitis leguntur, *primus dies impetu magis quam veterani exercitus artibus transactus*, reputaveris simulque totam narrationem incorrupto judicio perpenderis, Tacitus tibi videbitur hoc dixisse, postquam dies per oppugnationem atque impetum transactus esset, ne noctem quidem finem labori imposuisse, quippe quae operibus parandis utrimque absumpta esset. Vitelliani enim, quum interdiu aperti incautique muros aggressi ac repulsi essent, noctu demum veterani exercitus artibus oppugnandi utebantur, Othoniani, quum ingruente nocte impetus hostium intermitteretur, intuta moenium in posterum firmabant diem. Ceterum eodem mendo H. V, 18. init. in cod. B. et ed. Spir. *assumptis* (sive *adsumptis*) pro *absumptis* scriptum est

Etiam literae *c* et *e* inter se commutantur [59]) a librario

---

59) Id in aliis quoque libris Mstis et editis factum est: cod. G. enim

cod. Ma., qui H. II, 100. *eremona* pro *cremonā* i. e. *Cremonam* exhibet. Quo factum est, ut A. XVI, 13. scriptura archetypi vulgata *vicina urbi* in lectionem codd. Ma. (a pr. manu) H.G.O.Oa. edd. Put. Ber. *menia* (vel *moenia*) *urbi* (vel *urbis*) abiret, quum praesertim literae *ui* a *m* et *in* a *ni* in antiquissimo quoque codice vix distinguerentur. Dixi in cod. Ma. a pr. manu *menia urbi* scriptum esse; sed quum novissimi editores parum accurate de ejus codicis lectione rettulerint, liceat in eam rem diligentius inquirere, ut criticorum de optimi libri Msti scriptura dissensio tollatur. Igitur quum Jac. Gronovius in cod. Ma. priore manu idque satis clare scriptum fuisse testetur *menia*, et Victorius in margine ed. Beroald., in qua legitur *moenia urbis*, aut supra lineam verba *vicina urbi* adscripserit, codices A.R. autem et ed. Spir. vulgatam inde a Lipsio lectionem *vicina urbi* praebeant, denique quum cod. B., ut qui inter utriusque familiae scripturam fluctuare soleat, *moenia vicina urbi* exhibeat: patet, librarios codicis Ma. eiusque, unde familia Genuensis originem traxit, ex incertis archetypi vestigiis vocem *menia*, ejus autem codicis librarium, ex quo codd. A.R. et ed. Spir. descripta sunt *vicina* elicuisse. Jam si Jac. Gronovius aut Victorius annotassent, utrum eadem illa antiqua manu, an alia eaque recentiore vocabulum *vicina* in cod. Ma. scriptum esset, decerni posset, utrum librarius ipse errorem correxerit, an postea demum verum vocabulum ex alio quodam libro Msto vel ex coniectura lectoris cuiusdam additum sit. Ceterum non est dubium, quin *vicina urbi* vera sit lectio. Cf. H. IV, 46. *vicina urbi*; A. II, 64. *arva et urbes et vicina Graecis*; A. IV, 74. *propinqua urbi*; Martial. VI, 43, 9. sq. [60]):

A. XIII, 57. *clementis* pro *elementis* et A. XIV, 54. *āi* (i. e. *animi*) *ei* pro *āici* i. e. *amici*, ed. Spir. A. XII, 56. *eis* pro *cis* et A. XIII, 57. *cluine* pro *eluvie* exhibet. Varr. de L.L. VII, 8. p. 120. ed. Muell. p. 81 ed. Bip. in codd. F.G.H.a. *eas te* legitur pro scriptura ex Scaligeri emendatione vulgata *caste*. Hor. A.P. 77. aliquot codd. habent *commiserit* (i. e. *c̄miserit*) pro *emiserit*. Vell. I, 10, 1. ed. pr. et apogr. Amerb. *Olympicum* pro *Olympieum* habent. Cf. etiam Scioppii de arte crit. comm. s. vv. *c pro e* et *e pro c*.

60) Novissimus Martialis editor Schneidewinus, cetera de poeta optime meritus, in eo errasse mihi videtur, quod l. l. ex codd. Thuanoe,

Nunc urbi vicina juvant facilesque recessus,
Et satis est, pigro si licet esse mihi.

Palatino, Florentino Beverlandi et edit. Ferrariensi a. 1471. locutionem *urbis vicina* in textum recepit, utpote praejudicata de bonitate codd. Thuanei et Palatini opinione eo inductus. Neque vero horum librorum quamvis optimorum ea est auctoritas, ut eos codicibus Taciti Mediceis pares ponas, aut eorum lectiones oraculi vice accipias. Uterque enim liber, quamvis raro, correctoris atque interpolatoris manum expertus est, nec desunt loci, in quibus libri familiae C,a familias A et B, quarum inter testes illi codd. a Schneidewino numerantur, fide superent. Cujus rei exempla non ita pauca, quae ad manum sunt, huc afferre longum est. Concesserim tamen libros familiae C,a saepius, quam codices Thuaneum et Palatinum, a veritate atque a pristinae scripturae splendore ad deterioris lectionis sordes declinasse. At lectionum probabilitas non conjicitur ex majore minoreve numero vitiorum, quae in hoc vel illo codice commissa sint: quae quidem ratio facit momentum in damnò ex calamitate capto inter agricolas compensando ac resarciendo. Ipse Schneidewinus sententiam de auctoritate ac praestantia illorum codicum universe prolatam aliquo modò circumscripsit in Prolegg. p. LXXXV. sq. CXV. sq. CXVII., et monuit p. CVII. sq., periculum fuisse, ne interdum praejudicata quadam bonitatis libri Thuanei opinione seductus reliquorum fidem injuria spreverit: quod periculum hoc quidem loco non effugit vir doctissimus. Sane non reprehenderim eum, qui illum librum in textu constituendo sequatur, ubicunque nullo sententiae sermonisve detrimento fieri potest: at sermonis latini elegantiae damnum per ambiguitatem quandam locutionis mihi videtur intulisse criticus *urbis vicina* scribendo. Plane aliud enim ea locutione ex more illius aetatis significari solet, quam quod Martialis dixit: quippe *vicina urbis* sunt pars urbis alicui loco vicina. Cf. de hoc usu adjectivi neutr. plur. cum genit. subst. juncti Ramshorn. Gr. Lat. §. 104. not. 4. p. 305. sq. et Reisig. Gr. Lat. §. 350. ibique Haasii notam 524. Quamquam haud ignarus sum adjectivo *vicinus* interdum genitivum conjungi, sicut Cic. Off. III, 29. *fidem in Capitolio vicinam Jovis Optimi Maximi majores nostri esse voluerunt*; *Orat.* 31, 113. *vicinam ejus* (scil. *facultatis*) *atque finitimam dialecticorum scientiam assumere*; Ovid. Fast. VI, 399. *sensit anus vicina loci.* Contra vulgatam ante Schneidewinum scripturam *urbi vicina* praeter simillimos Taciti locos supra allatos etiam perboni codd. Puteaneus et Vossiani duo B. C., qui sunt vetustissimi familiae C,a testes, quibusque summam auctoritatem tribuendam censet ipse Schneide-

Quod si literarum *c* et *e* confusionem respicis, A. XV, 36. lectionem codd. Mstorum et edd. vett. *dehinc dicto* e vulgata inde ab Ernestio scriptura *dehinc edicto* ita ortam esse colliges, ut litera *e* propter similitudinem praecedentis *c* absorpta sit [60a]. Accedit quod *edictum* et *edicere* cum *dictum* et *dicere* saepius in libris Mstis permutantur: ita Sall. Cat. 48, 4. codices inter *edicere* et *dicere* fluctuant. Cf. Drakenb. ad Liv. VII, 35. VIII, 7. IX, 14., ad quem a Walthero ad A. XIV, 63. relegamur. Eadem confusione nititur emendatio Rhenani a Walthero haud improbata. Is enim e scriptura codd. *dehinc dicto* elicuit lectionem *dein edicto*, quam seqq. edd. ad Ernestium usque propagaverunt. Qua ex sententia litera *e* praecedenti particulae *dein* in vetusto archetypo ob continuam scripturam adhaerens ita a librariis legebatur, tanquam *c* esset, unde *deinc* in *dehinc* mutabatur. Similiter A. XIV, 63. e scriptura archetypi *compertae dicto memorat*, quam cod. Ma. servavit, ceterorum librorum lectio *comperta dicto m.* pro genuina *comperta edicto m.* orta est. Ceterum particulae *dehinc* et *dein* ad sententiam et usum loquendi aeque sunt aptae; sed Ernestii emendatio aliquanto lenior quam Rhenaniana mihi videtur esse, quippe quum nullus codex *deinc* aut *dein* praebeat.

Denique H. I, 79. in verbis codd. Ma.B.R. *ibi saevitia hic mĩa* — codd. G.H.O.Oa. edd. vett. *hic misericordia* [61]) — *vul-*

winus Prolegg. p. CXXV., atque ceterae omnes editiones veteres tuentur: eaque codicis Vossiani A. lectione *verbi vicina*, Gudiani *urbe vicina* quodammodo firmatur, quippe quum illi librarii dativi *urbi* vim non intellexerint. Doctior autem et elegantior est lectio *urbi*, quam ut cogitares, eam spreta forma *urbis* a librario de industria scriptam esse. Immo si recentiorum linguarum naturam atque ingenium respicis, vix dubitaveris, quin dativus *urbi* ad normam et consuetudinem illarum linguarum, quae locutiones hasce *i contorni de la citta, les environs de la ville, die Umgegend der Stadt* praebeant, in genitivum *urbis* postea demum mutatus sit, quum praesertim librarii ad genitivum alii casui substituendum proni sint; cujus vitii exempla posthac sub duodevicesimo genere afferam.

60a) Similiter Mart. XII, 82, 12. scriptura cod. Puteanei *umor colligit* ex genuina *humorem colliget* ita est orta, ut *ẽ* i. e. *em* ante *c* absorberetur.

61) Vox *misericordia* enim per compendium scribitur *mĩa*. Cf. librum,

nerum absumpti vocabulum *hiemis* latere inter viros doctos constat, ex quo Freinshemius hanc felicissimam Mureti conjecturam, quam antea aliis quoque in mentem venisse testatur scriptura cod. A. et lectio marginalis cod. On., editoribus commendavit. Vides *e* et *c* permutatas. Ceterum quomodo reliqua sententiae pars constituenda sit, dicam alibi, ubi meas ipsius emendationes Tacitinas proponam.

Jam pervenimus ad literarum *c* et *g* confusionem, quae cum in inscriptionibus [62]) et optimis codd. Mstis [63]), tum in

qui inscribitur *Nouveau traité de diplomatique*, Tom. III. p. 540 et 546.

62) Cf. Schneideri Gramm. Lat. I. p. 235 sqq.

63) Virg. Georg. II, 19. cod. Mediceus *subigit* exhibet pro *subicit* i. e. *subjicit*. Varr. de L.L. VIII, 64. p. 189 ed. Muell. p. 119 sq. ed. Bip. codices habent *grates* pro *Crates* et *grateti* pro *Crateti*. Vell. I, 4, 1. in ed. pr. *in Asiam ac Nesiam* pro *in Asia Magnesiam*, et II, 61, 2. in ed. pr. et apogr. Amerb. *Galatia* pro *Calatia* scriptum. Martial. I, 33, 3. lectio cod. Puteanei *non licet* orta est ex scriptura archetypi *non lucet* pro *non luget*, ut codd. Varr. de L.L. VI, 79. p. 104 ed. Muell. *lucere* pro *lugere* habent. Mart. I, 67, 2. lectio eiusdem illius codicis *quid egit*, codd. Vossiani B. et Gudiani *qui degit*, Vossiani A. (a pr. manu) *quid degit* originem traxit ex archetypi familiae C,a scriptura *quidigit* pro lectione codicis Thuanei vulgata *qui dicit*. Mart. III, 17, 3. optimus cod. Vossianus R. exhibet *sabidicula* pro *Sabidi gula*. Mart. VI, 39, 7. codex Gudianus praebet *cogi santrae*, Palatinus *cogi santre*, editio Colinaeana a. 1540, quam ego possideo, *Cogisantrae*, codd. Puteaneus et Vossiani A.B.C. *cogis antrae*, cod. Arondellianus et quaedam membranae Scriverii *cogisandre* pro vulgata ex emendatione Scriverii lectione *coci Santrae*, quam etiam codex quidam Roelandii Antwerpiani teste Jano Dousa tuetur. Mart. VIII, 52, 4. codd. Puteanei et Voss. A.B.C. lectio *caenas* orta est ex scriptura *cenas* pro *genas*, ex qua etiam cod. Gudiani depravatio *scenas* fluxit. Mart. XIII, 77. lemma in codice Voss. R. *Gigni* pro *Cygni* scribitur. Deinde cod. Thuaneus Mart. XIII, 75. lemma *Crues* pro *Grues* habet, idemque Epigr. 81, 1. *cerat* pro *gerat* et Epigr. 82, 2. *carum* pro *garum* praebet. Vicissim cod. Voss. R. Mart. XIV, 7, 1. *geras* pro *ceras* exhibet. Denique Mart. XIII, 78, 1. ex scriptura archetypi *cigatis* vel *cicatis* pro *gigantis* lectio familiae C,a *cicadis* et familiae C,b *cicada* originem traxit. Ad idem mendum referam Tac. Agric. 9. extr. lectionem cod. Vat. 3429. *graeciae tum spei*

libris Mediceis frequens reperitur. A. I, 22. codex *ablegeris* praebet pro *abieceris*. A. III, 72. et H. III, 56. codd. et vett. edd. *arguere* exhibent pro *arcuere* [63a]). A. VI, 48. *Grasidius Sacerdos*, pro *Carsidius Sacerdos*. Alia exempla ex M. collegit Bekker in not. ad Ern. Praef. p. XV. A. XII, 11. lectio cod. Ma. *concitaret* orta est ex archetypi scriptura *cocitaret* pro *cogitaret*; c. 16. cod. Ma. *gratibus* exhibet pro *cratibus*; A. XIV, 22. *aquae Margio* pro *aquae Marciae*; A. XV, 50. *Vulgatium* pro *Vulcatium*; A. XVI, 28. *Ragonium* pro *Paconium*; H. I, 6. *ciconio* pro *Cingonio*; c. 31. *incestis pilis* pro *ingestis pilis*; c. 44. init. *vagare* pro *vacare*; H. II, 20. *agribus oculis* pro *acribus oculis*; c. 22. *gradibus* pro *cratibus*; c. 24. *ingessit* pro *incessit*. H. IV, 53. scriptura genuina *gignuntur* abierat in *cignuntur*, unde, litera *c* cum *s* commutata [64]), lectio cod. Ma. *signuntur* orta est. Obversabatur quippe vox *signum* animo barbari librarii. H. V, 16. cod. Ma. *Cugerni* exhibet pro *Gugerni*.

Ex varia orthographiae ratione, qua in lapidibus et codicibus Mstis literae *c* et *qu* saepe inter se permutantur [65]), etiam hae

---

filiam, quippe quae ex archetypi scriptura *egreciae* pro *egregiae* orta esse videatur. Plura vide apud Drakenb. ad. Liv. VI, 25, 6, in Gesneri lex. rei rust. s. vv. *c pro g* et in Scioppii de arte crit. comment. s. vv. *c pro g* et *g pro c*.

63a) Eodem mendo Vell. II, 32, 6. *arguit* pro *arcuit* in apogr. Amerb. et II, 120, 6. *arguisse* pro *arcuisse* in ed. pr. et apogr. Amerb. scriptum est.

64) Confunduntur enim interdum literae *c* et *s*. Sic A. XII, 20. lectio codd. Ma. G. et edd. vett. *in hoc tentata beneficentia* orta est ex archetypi scriptura *in hos tētāta* i. e. *in hostem tanta beneficentia*. A. XIV, 26. init. cod. Reg. *legionibus suis* exhibet pro *l. citis*. Martial. IV, 75, 3. quidam perboni codices *sensus* praebent pro *census*. Adde frequentissimam confusionem vocabulorum *consilium* et *concilium*.

65) Cf. praeter ea, quae Schneider Gramm. Lat. I. p. 335—339 de hoc argumento in universum disputavit, Cellarii Orthogr. p. 53. 67., Vossii Etymolog. s. v. *loquor*, Maium ad Frontonis rell. p. 69. ed. Berol. et ad frag. pro Flacco p. 94, Heinrich. ad frag. pro Scauro p. 54. not. 13, Cramerum ad fr. pro Tull. p. 64, Sciopp. de arte crit. comm. s. vv. *c pro q* et *q vel qu pro c*, Goeschen. ed. Gaii Praef. not. 43. p. XXXXVIII. Sic Martial. II, 29, 3. lectio cod.

lectiones codicis Ma. ortae esse videntur: A. XIII, 9. lectio *ex quo modo* originem traxit ex archetypi scriptura *ex co modo* pro *ex commodo*, sicut in Mediceo cod. Epp. Cic. ad Fam. III, 5, 4. *quo modo* pro *commodo* legitur. A. XIII, 15. extr. cod. Ma. pro *decoquitur* exhibet formam *dequoquitur*, de qua vide Schneideri Gr. Lat. I. p. 336. A. XIV, 11. scriptura omnium fere codicum *oblita* originem duxit a lectione archetypi *oblica* pro vulgata *obliqua*. A. XV, 59. lectio codd. Mstorum et edd. vett. a Bachio ac Rupertio male revocata *nam vetus miles timebatur quanquam favore imbutus* orta est ex archetypi scriptura *canquam*, quae rursus ex genuina lectione inde a Rhenani emendatione vulgata *tanquam* perpetua fere literarum *c* et *t* confusione depravata erat. Vicissim H. IV, 68. lectio cod. R. et ed. Spir. *tanquam senatorii ordinis* originem traxit ex scriptura *canquam* pro *quanquam*.

Porro literae *c* et *t* ut in aliis codicibus Mstis [66]), ita in libris

Palatini *quotiens* orta esse videtur ex scriptura *cotiens*, quae in archetypo pro *totiens* extiterat mutata litera *t* cum *c*. Mart. II, 7, 5. in cod. Vossiano B. legitur *quantas* pro *cantas*. Ita factum est, ut Mart. XIII, 127, 2. lectio cod. Vossiani R. *c̄dam*, quo compendio *condam*, non *cumdam*, ut Schneidewinus ed. Mart. Vol. II. p. 733. opinatur, significatur, ex genuina scriptura *quondam* oriretur. Similiter Dial. de Oratt. 39 scriptura cod. Neapolitani a pr. m. *quam* nata est ex genuina voce *cām* i. e. *causam* (cf. Nouveau traité de diplomatique T. III. p. 359 not. 1.), quae in eodem codice a sec. m. superscripta est. Item in codd. Mstis modo *squillae* modo *scillae* scribitur, sicut Martial. XIII, 83 in lemmate et v. 2 libri scripti et editi inter utramque formam fluctuant.

66) Sic Martial. II, 90, 10 optimus cod. Vossianus R. exhibet *sic nox* pro *sit nox*. Mart. I, 3, 7 codd. Puteaneus, Vossianus C. aliique *tum* praebent pro *cum*, unde deteriores libri fecere *tam*; IV, 64, 14. cod. Wolfenbuttelanus *latet* habet pro *iacet*; VIII, 56, 21. cod. Thuaneus *dicataque* pro *ditataque*. Tac. Ann. XI, 1 et XIII, 21. in deterioribus libris verbum *excolere* pro *extollere* legitur; eademque confusio reperitur Plin. Epp. III, 2, 4. Maxime autem confunduntur particulae *ac* et *at*, *ac tamen* et *attamen*, *cum maxime* et *tum maxime*. Cf. Drakenb. ad Liv. III, 61, 4. et ad Sil. Ital. VI, 190. ac Waltherum in indice annott. sub vocc. *ac* et *cum* atque virorum doctorum commentarios, ad quos ibi relegamur. De similitudine literarum *c* et *t* in scriptura Langobardica conf. Drakenb. ad Liv. VI, 35, 2 et Sciopp. de arte crit. comment. s. vv.

Mediceis saepius inter se confusae, quia etiam a viris doctis, qui eos codd. contulerunt, interdum permutatae sunt. Sic A. II, 38. Beroaldus vulgatum *istuc* edidit ut e codice, Gronovius vero *istut* ibi legisse se affirmat: quae solemnis ejus libri scriptura pro *istud* est, ut testatur Pichena in Praef. Imprimis autem Jac. Gronovio accidit, ut e cod. Ma. literam *c* afferret, ubi alii *t* viderunt. Sic A. XIV, 16. Victorius, Pichena, Furia e cod. Ma. *contraria asseverant tum* attulerunt, Jac. Gronovius *asseverant cum*. A. XV, 23. Victorius *actiecce*, Pichena *actiercae*, Jac. Gronovius *accierce* in cod. Ma. legit addiditque vix discerni posse, sitne *ci* an *ti*; e cap. 25. Victorius *excutio Citio*, Jac. Gronovius vero *excucio Cicio* attulere. H. III, 13. Furia *in arte*, Jac. Gronovius *in arce* pro vulgata *in arto* viderunt. E contrario A. XIV, 17. Furia *incentio*, Jac. Gronovius *intentione* in cod. Ma. legi affirmant. Itaque A. XI, 4. init. quum Victorius vulgatam lectionem *at causa necis* intactam reliquerit, Pichena autem *ac causa n.* e cod. Ma. protulerit, hoc cum Kiesslingio ac Rupertio praeferam. Neque enim Acidalio, nec Ernestio, nec Walthero placuit particula *at* h. l. utique parum apta. Verum non est, quod cum Ernestio *ac* spernas. Eam enim particulam ab iis, quae universe dicta sunt, transitum facere ad accuratiorem rei enarrationem, bene observavit Handius in Doctrina stili latini p. 300. ed. pr. Ideo etiam A. III, 54. Walther vulgatam *ac nisi sqq.* ab Ernestii suspicione bene defendit.

Primum *ac* et *at* particulae in codd. Mediceis hisce locis inter se permutate sunt: A. I, 2. cod. M. exhibet *at novis ex rebus* pro *ac novis ex rebus*; A. IV, 8. *foveret attolleret* pro *foveret ac tolleret*. H. IV, 48. lectio cod. Ma. *ad M. Silanum* orta est ex archetypi scriptura *at M. Silanum* pro *ac M. Silanum*. Vicissim A. I, 36. cod. M. pro lectione *ac si*, quam ante Pichenam vulgatam rursus Wolfius cum edd. sqq. revocavit, exhibet scripturam *at si*, quam, postquam Pichena in textum receperat, nuperrime Doederlinus defendere conatus est: quippe alteram his

---

e pro t et t pro c. Exempla eiusdem confusionis in vett. Velleii libris passim obviae vide in Kritzii Prolegg. p. LXXXVII et XCI. Cf. etiam Od. Muelleri Praef. ed. Varr. de L. L. p. XXII.

verbis narrari metus causam, non novam et contrariam reputationem. Et certe contrarius aliquis priori metus simul ut alter et novus memoratur: nemo tamen non intelligit, utique contraria inter se opponi. Metuebatur enim ab altera parte, ne Germani, si Rheni ripam seditiosae legiones desererent, imperium Romanum invaderent, ab altera parte, ne, si fidae cohortes ad Rhenum mitterentur, quae legiones a decessione prohiberent aut ad militiae officium vi atque armis reducerent, bellum civile oriretur. Etiam in verbis sequentibus deinceps contraria contenduntur: *Periculosa severitas, flagitiosa largitio; seu nihil militi, sive omnia concedentur, in ancipiti res publica.* C. 47. autem, quem locum eum hoc comparavit Doederlinus, per particulam *ac* altera quidem, sed non diversa metus causa additur; neque enim duo illa orationis membra *quos igitur anteferret* atque *ac ne postpositi contumelia accenderentur* ut contraria inter se opponuntur. Diversitas causarum, quae quidem Tiberium angebant et cunctationem illam efficiebant, in eo potius cernitur, quod validior per Germaniam exercitus alteri Pannonico eique propiori opponitur.

A. I, 47. cod. praebet *intenderentur* pro *incenderentur*; vicissim A. XIV, 45. codd. et edd. vett. exhibent *incenderetur* pro *intenderetur*, quae est emendatio Rhenani, Merceri, Acidalii ad Waltherum usque vulgata. Walther male revocavit scripturam codicum, eumque deinceps editores secuti sunt. Tamen praecedens verbum *minuerat* requirit *intenderetur*, neque unquam audivi morem aliquem incendi. De verbo *intendere* cf. ipsum Waltherum ad A. XII, 35., ubi recte rescripsit lectionem codd. et edd. vett. *intendebant ardorem exercitus*, pro qua verbum *incendebant* ex ed. Gryphiana in textum irrepserat. A. XI, 31. lectio codicis Ma. *facientibus* orta est ex archetypi scriptura *faventibus* pro *fatentibus*. A. XIV, 8. cod. Ma. praebet *vocis* pro *votis*. C. 11. lectio *oblita* pro *obliqua* orta ex antiqua scriptura *oblica*. A. XV, 50. *Vulgacium* pro *Volcatium* et A. XVI, 8. *Volcacius* pro *Volcatius* legitur in cod. Ma; A. XV, 12. *Paccium* pro *Pactium*; H. III, 6. *Aceste* pro *Ateste*; c. 9. *cartari* pro *Tartari*; H. V, 5. *cōtinebaṫ* i. e. *continebatur* pro *cōcinebāt* i. e. *concinebant*; cap. 7. *indicas* pro *inclitas* s. *inclutas*. Alia exempla literarum *c* et *t* commutatarum ex M. collegit Bekker in not. ad Ern. Praef. p. XV.

Haud absurde igitur A. XVI, 19. vulgatam codicum lectionem *levia carmina et* *f a c i l e s* *versus* Bezzenberger in Emendatt. delect. p. 41. correxit in *l. c. et* *f u t i l e s* *versus.* Doederlinus enim subtiliter quidem annotavit versus ludicros, jocosos de rebus amatoriis ac similibus novo significatu *faciles* dici, sed id, quod ipse conjecit, *facetos versus* displicet, quippe quum nimis a codicum scriptura recedat ac facetiarum laus ab hoc loco aliena sit. Expectares potius ex ingenio Petronii, ut *molles versus* (v. Ovid. Trist. II, 307.) vel simile quid a Tacito commemoraretur; qua re adjectivum *futiles* ductibus literarum simillimum haud ineptum mihi videtur esse. Vicissim Cic. Orat. 8, 27. cod. Einsiedl. *futile* pro *facile* exhibet. Apud Tacitum l. l. praecedens synonymon *levis* fortasse traxit vocem *facilis.*

H. IV, 29. vulgatam codicum lectionem *unde clamor acciderat, circumagere corpora, tendere* *a r c u s* recte improbasse mihi videntur Lipsius, Acidalius, Ritter, Rupertius. Arcuum enim inter Germanorum tela neque in Germania neque tot proeliis in Historiis atque Annalibus descriptis unquam apud Tacitum fit mentio: neque est, quod in hac nocturna castrorum oppugnatione, quippe cujus ratio ac natura gladiorum, hastarum, pilorum magis quam sagittarum, fundarum, tormentorum usum admiserit, praeter cetera tela, quibus eminus cominusve pugnatur, ipsi arcus commemorentur. Ac ne proximis quidem verbis *ignavorum saepe* *t e l i s* *fortissimi cadere* vulgata firmatur: quippe vocabulum *tela* non jacula tantum eminus missa notat, sed Germanico Angriffswaffen respondet. Accedit quod cum Ernestio ac Rittero vehementer dubito, num latine dicatur, arcum tendi aliquo. Nam locutione *arcum tendi* idem significari, quod Germanica den Bogen spannen, non richten, Ritter bene docuit, nec solemnes formulae *manus ad coelum, ad Deos, ad hominem aliquem tendere* quidquam momenti ad vulgatam tuendam afferunt; immo inde patet longe diversam utriusque locutionis rationem esse. Manus enim ideo dicuntur aliquo tendi, quod a reliquo corpore quasi amoveantur atque ad rem aliquam versus porrigantur; at arcus ad scopum, quem sagittae feriant, non tenduntur, sed diriguntur. Interpretes, qui vulgatam tolerarunt, fefellit Germanicum verbum richten, quo latinum *tendere* saepe reddi potest. Itaque *artus,* Lipsii emendationem a Rittero et Ru-

pertio in textum receptam, equidem probaverim [67]. Verba Taciti enim spectant ad antecedentia *neque feriendi neque declinandi providentia.* Etenim quum cuncta tenebris mixta essent, pugnantes ad eam regionem, unde clamor aut armorum strepitus acciderat, corpora converterunt atque artus i. e. brachia ac manus scuta telaque ferentia tendebant sive hostes caesuri sive ictus declinaturi ac propulsaturi. Eadem vocabula rursus H. II, 70 coniuncta sunt: *Lacera corpora, trunci artus.* Ceterum Agric. 11. eadem confusio reperitur: ibi enim pro vulgata lectione *magni artus Germanicam originem asseverant* cod. Vat. 4498. *magni arcus sqq.* exhibet. Potuit autem H. l. l., ut in narratione pugnae, vox *artus* facillime abire in *arcus;* et medio aevo magis in usu erant arcus quam apud Romanos.

Litera *d* pro *cl*, quamvis raro, ponitur in codd. Mediceis [68],

---

67) Jacobus Obss. ad Tac. H. critt. II. p. 23 conjecturam *artus* probaturum se esse ait, si poetam legeremus; eos enim pro corporibus membris, pro membris artubus uti malle: e quibus ut multa assumserit Tacitus, non tamen temere quaeque invehenda esse. Diserte autem negat ullum esse locum, ubi artuum talis apud illum usus sit. At vereor, ne haec ad vulgatam lectionem omni modo tuendam magis quam ad veritatem a viro doctissimo jacta sint. Voce *artus* enim non solum singulae quaedam species partium corporis, lacerti, brachia, manus, crura, pedes, nervis articulisque cum trunco i. e. cum medio corpore connexa, ut plerumque fit, significantur, sed Tacitus universe etiam pro membris ea utitur. Cf. Ann. XIII, 35. *ambusti multorum artus (i. e. manus pedesque) vi frigoris;* H. II, 70 *lacera corpora, trunci artus;* An. II, 21. *latos barbarorum artus, nuda ora foderent;* H. II, 28 extr. *non abrumpendos corpori validissimos artus;* Agr. 11. *magni artus Germanicam originem asseverant.* Ceterum nostro loco in describendis nocturnae pugnae turbis artus secernuntur quodammodo a corporibus, sicut a Virg. Ann. IX, 490 *quae nunc artus avulsaque membra.... tellus habet?* artus a membris distinguuntur, quamquam proprie voce *membra* universae corporis partes generatim notantur.

68) Sic cod. G. Ann. XII, 55 *ditarum* pro *Clitarum* et H. III, 71 *divi* pro *clivi* exhibet. Pl. Trin. II, 4, 182 codex Sur. habet *Callidi* pro *Callicli.* Cic. Orat. 69, 231 lectio cod. Einsiedl. *yherodes* orta ex scriptura *hyerocles* pro genuina *Hierocles.* Ibid. 48, 159 vulgata ante Meyerum lectio *inclitus* vel *inclutus* originem traxit ex

ut A. IV, 59. *mare amundanum* pro *mare Amuclanum*; H. V, 7. *indicas* pro *inclitas* s. *inclutas*.

Literae *d* et *t* ut in lapidibus [69]) et codd. Mstis [70]), ita in Mediceis libris nonnunquam inter se permutatae sunt [71]). Sic

archetypi cujusdam scriptura *incluctus* pro lectione codd. Eins. Vit. Mon. *inductus*, quae rursus ex genuina *indoctus* nata est, quam ex codd. Vet. Stephani et Gud. 3. et ex Gellii N. A. II, 17 Meyer et Orellius revocarunt probante Beiero. In Monacensi cod. Msto comment. Porphyr. in Hor. A. P. legitur ad v. 32 *polydeti* pro *Polycleti* et ad v. 52 *tridinium* pro *triclinium*.

69) Sic in Gruteri Thesaur. Inscriptt. p. 199 no. 6 *limides* pro *limites* et p. 535 no. 6 *Badaus* pro *Batavus* ex inscriptionibus afferuntur.

70) Sic Martial. I, 4, 5 cod. Wolfenbuttelanus s. exhibet *tirisorem* pro *derisorem*, Mart. IV, 66, 17 optimus cod. Thuaneus cum Vossiano B. *reliquid* pro *reliquit*, quasi a pronomine *quid* derivandum esset. Mart. VII, 96, 3 praestantissimus cod. Vossianus B. *trietetrite* pro *trieteride* praebet. Vell. II, 55. 1. in apogr. Amerb. *quando* pro *quanto* scriptum est. Varr. de L. L. VI. §. 89. p. 110. ed. Muell. in codd. legitur *idem ut praeco* pro vulgata *item u. p.*, ut Augustinus emendavit et Gryphius primus edidit. Ita Cic. Orat. 49, 164. Beier et Orellius e coniectura Ernestii scripserunt *itemque* pro vulgato *idemque*; cf. 48, 159 *itemque composuit, consuevit, concrepuit, confecit.* Cf. etiam Scioppii de arte crit. comm. s. vv. *d pro t* et *t pro d* et doctos Benedictinos in opere diplomatico saepius commemorato T. III. p. 264 not.

71) Omitto ea confusionis exempla, quae ex varia scribendi ratione, qua veteres in nonnullis vocabulis in *t* aut *d* cadentibus utebantur, originem traxerunt: qua de re Schneider Gr. Lat. I. p. 251 — 254 disputavit. Sic in cod. Ma. legitur *ad* pro coniunctione *at* hisce locis: A. XII, 8. 43. XIV, 63. pr. H. I, 53. IV, 71, ut in cod. Thuaneo Mart. XI, 104, 8; eademque scribendi ratio reperitur in vett. Velleii libris I, 14, 6. II, 10, 1. 39, 3. 86, 2. 105, 3. Cf. etiam Drakenb. ad Lib. III, 17, 3. 43, 1. Item *adque* pro *atque* scriptum est in apogr. Amerb. Vell. II, 9, 3. 84, 3. E contrario in codice M. *aliquit, aliut, aput, haut, illut, istut, quit, set* scriptum esse Pichena testatur in Praefatione, et codex Ma. Ann. XV, 16. *aput*, A. XVI, 30 *quot* et *aliut* exhibet, quas quidem formas vestigia ac reliquias eius scribendi rationis, qua librarius archetypi usus sit, esse putaverim. Itaque librarius codicis Ma., quum Ann. XVI, 22 in archetypo *quot ibi lasciviam exprobrent* videret, *quod ibi l. e.* scripsit pro genuina lectione *quo tibi l. e.*, quae ex Rhenani emen-

codex M. exhibet A. I, 3. et 77. H, 36. III, 18. *dum* pro *tum*, e contrario A. VI, 44. *tum* pro *dum*. A. I, 14. extr. in eodem libro legitur *candidatos praedurae*; c. 35. *ostendavere*; cap. 37. *istem* pro *isdem* s. *iisdem*. Cod. Ma. A. XI, 10. *Godarzen* pro *Gotarzen*; A. XIV, 8. extr. *capud* pro *caput*, c. 21. *efflagitanti* pro *efflagitandi* exhibet. A. XIII, 57. extr. lectio codd. Ma.G.Oa. ed. Spir. *resistentibus flammis* nata est ex scriptura *resitentibus flammis* pro *residentibus flammis*. A. XIV, 58. lectio codicis Ma. *aspernantium* originem traxit ex mendosa scriptura *aspernantum* pro *aspernandum*. H. I, 24. et III, 11. cod. Ma. exhibet *velud* pro *velut*, sicut Agr. 10. editio Puteolani altera. Idem ille codex H. I, 41. *Adilium* pro *Atilium*, H. II, 22. *gradibus* pro *cratibus*, c. 92. pr. *dum* pro *tum* praebet. Quae quum ita sint, H. V, 7. cum Gutmanno probaverim Salmasii emendationem *solidam in speciem* pro lectione codd. Mstorum vulgata *solitam in speciem*.

Litera *e* vel *E* cum *f* vel *F* [72]) in codice M. commutata est A. I, 34. 41. extr. IV, 41., quibus locis *elexit* pro *flexit* in eo scriptum est, A. III, 21. init., ubi *eusti* pro *fusti* legitur. H. IV, 50. lectio codd. Ma.G. *Offensium* ex mendosa scriptura *OFENSIUM* pro vulgata *OEENSIUM* orta esse mihi videtur. Vicissim H. V, 1. scriptura codd. Ma. V. Lipsii *ut superiori unam crederetur* inde originem traxisse videtur, quod archetypum exemplar pro genuina lectione a Lipsio investigata SUPER FORTUNAM commutata insuper T litera cum I exhibuerat: SUPEREORIUNAM.

Itaque Bezzenberger l. l. p. 34. egregie emendavit locum corruptum A. XIV, 16. extr., ubi, quum codex Ma. praebeat *etiam sapientiae doctoribus impartiebat post epulas, utque contraria asseverant tum discordiae rueretur*, ille conjecit legendum esse *etiam . . . . . utque contraria asseverantium discordia frueretur*. Ceterum verba *utque contraria asseverantium* in codd. A.B. (a sec.

---

datione vulgatur. Similiter Mart. VI, 34, 1 et 7 codd. R.T.A.B.G. habent *quod* pro *quot*. Cf. etiam Goeschen. Praef. ed. Gaii not. 41. p. XXXXVII sq.

72) Sic Plaut. Bacch. IV, 4, 108 vulgatam lectionem *fugiamus* quidam viri docti in *euge eamus* bene mutarunt, quippe quum fugae commemoratio inepta sit. Suspicor in archetypo scriptum fuisse FVGEAMVS absorpta insuper alterutra E litera ex vulgari mendo

m.) Oa. (a pr. m.) R. atque in omnibus editionibus leguntur inde a Puteolano usque ad Oberlinum, qui cum Bekkero, Rittero, Rupertio particulam *que* omisit. Proxime autem ad Benzenbergeri emendationem accessit Bachius, qui probante Doederlino edidit *utque contraria asseverantium discordia erueretur.* Doederlinus putat, conjunctionem *ut* pendere ex verbo *faciebat, efficiebat* vel *curabat,* quod ex locutione *tempus impartiebat* ad alterum sententiae membrum intelligendum sit. Sin conjecturam *frueretur* probas, ea ellipsi non opus est, sed particula *ut* sua utitur significatione, qua consilium ac finem, quo quid factum sit, indicat. Particula *que* autem verba *post epulas,* quae rationem ac modum continent, quibus Nero philosophis tempus impertiverit, conjunguntur cum enuntiatione finali, qua declaratur, quo consilio tempus philosophis impertiverit. Ideo et verba *post epulas* verbo *impartiebat* postposita sunt, ut ea cum enuntiato finali jungenda esse facile intelligatur. Ita duplex erat Neronis ludibrium — ut Doederlini verbis utar — primum, quod speciem philosophandi induebat tempore ad id negotium minime idoneo [73]), quippe quo venter cibo ac vino gravis esset, alterum, quod philosophos non ad veritatem investigandam accibat, neque ut erudiretur, sed quo discordia oblectaretur philosophorum, qui, ut inter diversas sectas rixosissimi generis hominum hodieque fieri solet, contraria pervicacius asseverantes se mutuo vexabant atque corripiebant. Conjectura *frueretur* proximis statim hisce verbis Taciti firmatur: *Nec deerant, qui ore vultuque tristi inter oblectamenta regia spectari cuperent.* De vi atque usu verbi *frui* cf. virorum doctorum commentarios a Rupertio ad A. II, 13. commemoratos. Qui autem vulgatam *erueretur* retinent, ab usu loquendi discedere mihi videntur. Nam veritas quidem eruitur, non tamen discordia, nisi si abdita et occulta dicitur.

Literae *e* et *i* ut in aliis codd. Mstis [74]), ita in libris Med.

---

73) Cf. Cic. Tusc. V, 35, 101: *Ne mente quidem recte uti possumus multo cibo et potione completi.*

74) Sic Cic. Epp. ad Fam. I, 1, 3 cod. Med. *assentire* pro *assentiri* et II, 6, 1 *perferre* pro *perferri* praebet. Tac. Agr. 34 extr. in cod. Vat. 3429. *imputare* pro *imputari* legitur. Martial I, 2, 6 codex Puteaneus *urbi* pro *urbe* et VI, 34, 3 *mares* pro *maris* exhibet. Mart. I, 3, 5 idem codex cum Vossiano B. et Gudiano

saepissime inter se permutantur. Exemplis e codice M. a Bekkero in nota ad Ernestii Praef. p. XV. collectis adde haec: A. I, 20. *accipere* pro *accepere*; c. 28. *percennioni* pro *Percennione*; cap. 30. *considerant* pro *consederant*; c. 45. *molis* pro *moles*; cap. 64. pr. *sequi* pro *seque*. A. II, 11. *deducere* pro *diducere* [74a]); cap. 31. *derexit* pro *direxit*; c. 34. *illi abscissit* pro *ille abscessit*; c. 45. *deriguntur* pro *diriguntur*; c. 46. *recente libertate* pro

iuvenisque senisque praebet pro *iuvenesque senesque*. Ibid. 4, 5 optimi cod. Thuanei lectio *Temelen* orta est ex scriptura archetypi *Thimelen* vel *Timelen* pro *Thymelen*, id quod patet ex varietate lectionis a Schneidewino collecta. Mart. III, 4, 1 idem codex *requirit* pro *requiret* habet, v. 2 *Aemeliae...viae* pro *Aemiliae...viae*, ibid. 57, 1 *vindidit* pro *vendidit*, VII, 54, 7 *avis* pro *aves*, X, 48, 18 *additur* pro *addetur*, XIV, 8, 1 *legeret* pro *legerit*, ibid. 24, 1 *crinis* pro *crines*. Mart. XIII, 127, 2 idem liber cum Vossiano R. exhibet *viris* pro *veris*. Mart. XII, 82, 12 in codd. X.A.B.C. legitur *colligit* pro *colliget*. Ideo et particularum *ergo* et *igitur* compendia $\overset{g}{e}$ et $\overset{g}{i}$ (v. Orell. ad Cic. Orat. 15, 49 p. 39 ed. seorsum emiss.) saepe in libris Mstis confusa sunt, sicut Cic. Orat. 35, 123 cod. Erlang. *is igitur erit eloquens* pro vulgata *is erit ergo eloquens* exhibet, ibid. 52, 174 cod. Viteb. *primum igitur origo* pro *primum ergo origo*, ibid. 57, 191 cod. Einsiedl. *sequitur igitur* pro *sequitur ergo*, et Martial. II, 17, 5. deteriores libri habent *quid ergo facit* pro lectione optimorum codd. *quid igitur facit*, quam Schneidewinus edidit. Huc pertinet etiam frequens confusio particularum *atque* et *atqui*, de qua videas Drakenb. ad Liv. III, 52, 8. et V, 4, 1. Spalding. ad Quintil. IV, 2, 10. et 80. IV, 3, 17. Gernhard. ad Cic. Cat. Maior. 14, 50. Sic Cic. Brut. 18, 72. 80, 279. Off. III, 11, 48. Tuscul. III, 7, 14. Epp. ad Fam. IX, 22, 1. libri inter utramque particulam fluctuant. Magnam copiam locorum, quibus veteres Velleii libri modo *e* pro *i*, modo *i* pro *e* habent, collegit Kritzius Prolegg. p. LXXXVII. sq. In universum cf. de causa et origine huius permutationis Schneideri Gramm. Lat. I. p. 13—18, Lerschium in libro, qui inscribitur *Centralmuseum rheinländ. Inschriften*, Vol. I. p. 10, Osannum in Diariis antiq. litt. a. 1841. no. 119. p. 990.

74a) Perpetua fere in codd. Mstis est horum verborum commutatio, v. c. ap. Hor. A. P. 129. Juven. I, 157. Pers. III, 56. Tac. H. IV, 46. Cf. Drakenb. ad Sil. Ital. XV, 184. Cort. ad Lucan. II, 294. Loers. ad Ovid. Trist. p. 47, quos commemorat C. Fr. Hermannus in disputatione altera de usu et auctoritate scholl. Persian. p. 35. n. 65.

recenti libertate; A. III, 66. *Bruttedius Niger* pro *Brutidius Niger*; A. IV, 66. *conixius* pro *connexus*; A. VI, 45. extr. *vincerent* pro *vincirent*. En exempla e codice Ma. congesta: A. XI, 18. *magnis delectis* pro *magnis delictis*; A. XI, 22. extr. *receperavissent* pro *reciperavissent*; A XIII, 47. *via flaminea* pro *via Flaminia*; c. 57. lectio Ma. codicis *alimentis* orta ex *elimentis* pro *elementis*. A. XIV, 33. *aliorum insignes* originem traxit ex scriptura *aliorum signes* pro *aliorum* (vel *laborum*) *segnes*. A. XV, 53. cod. Ma. exhibet *accedens* pro *accidens*; c. 59. *vincerent* pro *vincirent*; A. XVI, 14. *innixum* pro *innexum*; H. III, 53. init *evilnissint* pro *eviluissent*; H. IV, 32. *recipi* pro *recepi*; c. 58. *sufficit* pro *suffecit*; c. 70. *sicut is* pro *secutis*; H. V, 10. *excipere* pro *excepere*. Quin ex uno eodemque codice H. II, 41. extr. Victorius *relibebantur*, Jac. Gronovius *relebebantur* prodiderunt. H. III, 27. lectio codd. Ma.G. et edd. vett. *legiones* orta ex scriptura *legones* pro *ligones*. Denique ita factum esse videtur, ut inf. praes. pass. cum inf. praes. act. in codd. Med. haud raro mutaretur. Haec sunt exempla: A. I, 3. *destinare* pro *destinari*, A. II, 30. *interrogare* pro *interrogari*; A. XI, 7. *praeparare* pro *praeparari*; A. XIV, 60. *tuere* pro *tueri*; A. XV, 5. *circumsedere* pro *circumsederi*, c. 59. *sperare* pro *sperari*; H. III, 86. *continere* pro *contineri*; H. IV, 81. *integrare* pro *integrari*.

Optime igitur Bezzenberger l. l. p. 27. cum Vertranio Ann. XI, 20. rescripsit *inter Mosam Rhenumque trium et viginti millium spatio fossam perduxit, qua incerta Oceani* vitarentur pro vulgato *vetarentur*, quod pro *arcerentur* dictum putat Doederlinus collato loco scenici poetae Sen. Herc. Oet. 1624: *Stat vasta late quercus et Phoebum vetat.* Sed ut concedam etiam a Tacito *vetare* pro *arcere* dici posse, tamen incerta Oceani i. e. aestuaria et loca vadosa per fossam illam non arcebantur, sed vitabantur. Quippe naves ipsa fossa facta ne adibant quidem aestuaria et Oceanum, sed legiones atque commeatus e Gallia et Germania inferiore per Mosam et fossam illam Rhenumque, dein per Drusianam fossam ac lacus ad Frisios Chaucosque vehebant. Itaque vitatis itineris maritimi periculis, navigabilia inter se fiebant Galliae et Germaniae litora. Undecim annis post similem ob causam L. Vetus Mosellam atque Ararim facta inter utrumque fossa

connectebat, ut difficultates ac pericula maritimi per Oceanum itineris vitarentur et commercium inter Occidentem atque Orientem expediretur. V. A. XIII, 53. Ceterum diversam causam factae a Corbulone fossae retulit Dio Cass. LX, 30, cujus tamen verbis nec vulgata lectio explicatur aut firmatur.

Nec minus recte A. XIII, 36. Pichena scripturam cod. Ma. *ne pugnam priores audirent* in *auderent* mutavisse mihi videtur, quod cod. Vaticanus Lipsii praebuit. In edd. vett. ante Pichenam atque posthac in edd. Ernest. Oberl. Bekk. Ritt. legitur *adirent* ex codicibus familiae Genuensis. Egregie autem Walther lectionem cod. Vaticani defendit, quam alteri longe praeferendam esse demonstravit. Accedit ratio palaeographica, quod, quamquam Ernestio concedendum est verba *adire* et *audire* interdum in libris Mstis permutari[75]), id in codice Ma. semel[76]) tantum (A. XV, 36.)

75) Cf. supra notam 46. p. 84 sq.

76) Ann. XIII, 5 enim lectionem codd. et edd. vett. *velo discreta, quod visum arceret, aditus non adimeret* post Waltherum egregie defendit Pabstius in Observatt. in Tacitum indici scholarum Gymn. Arnstad. a. 1837. praemissis p. 8. contra coniecturas Lipsii *auditus*, Pichenae *auditum*, quarum illam Freinsh. Gronov. Ernest. Kiessl. Walth. Bach. Ritt. Rup., hanc Bipont. Oberl. Bekk. in textum intulerunt. Etenim ut omittam — id quod Pabstius monuit — propter antecedens vocabulum *visum* librarios, si quidem oscitantiae vel socordiae vitium commisissent, potius *aditus* in *auditus* vel *auditum* mutaturos fuisse, quam vicissim: propter ipsam singularis formam *visum* expectares, ut Tacitus, si revera de audiendo sermo esset, non *auditus*, sed *auditum* scripsisset, quum tamen libri Msti et edd. vett. *aditus* praebeant. Lipsius quidem affirmat, adiri conspicive noluisse Agrippinam, sed Pabstius hanc summi critici sententiam temere iactam optime refutavit hisce verbis: „Hoc *conspici* concedere quidem possumus, nec vero illud *adiri*. Agrippina ut senatorum, qui ab ipsius parte stabant, consilia adiuvare posset, in palatium convenire senatum iusserat: iam vero ipsa, quamquam senatui interesse nolebat, femina virorum coetui, quippe quod indecorum videretur, velo discreta aditus tamen non adimebat." Idem fere legi apud Ammian. Marcell. XIV, 9, 2. idem ille docuit, qui et relegavit nos ad Hammeri Hist. regni Turcici Tom. IV. p. 561, ubi mater Mustafae, Imperatoris Turcarum, femina dominationis avidissima, altera Agrippina, cum seditiosis militibus per aulaeum egisse narratur. Vides hoc loco Taciti editores ipsis librariis festinantius ac socordius egisse.

libris Mediceis frequens reperitur. A. I, 22. codex *ablegeris* praebet pro *abieceris*. A. III, 72. et H. III, 56. codd. et vett. edd. *arguere* exhibent pro *arcuere* [63a]. A. VI, 48. *Grasidius Sacerdos*, pro *Carsidius Sacerdos*. Alia exempla ex M. collegit Bekker in not. ad Ern. Praef. p. XV. A. XII, 11. lectio cod. Ma. *concitaret* orta est ex archetypi scriptura *cocitaret* pro *cogitaret*; c. 16. cod. Ma. *gratibus* exhibet pro *cratibus*; A. XIV, 22. *aquae Margio* pro *aquae Marciae*; A. XV, 50. *Vulgatium* pro *Vulcatium*; A. XVI, 28. *Ragonium* pro *Paconium*; H. I, 6. *ciconio* pro *Cingonio*; c. 31. *incestis pilis* pro *ingestis pilis*; c. 44. init. *vagare* pro *vacare*; H. II, 20. *agribus oculis* pro *acribus oculis*; c. 22. *gradibus* pro *cratibus*; c. 24. *ingessit* pro *incessit*. H. IV, 53. scriptura genuina *gignuntur* abierat in *cignuntur*, unde, litera *c* cum *s* commutata [64], lectio cod. Ma. *signuntur* orta est. Obversabatur quippe vox *signum* animo barbari librarii. H. V, 16. cod. Ma. *Cugerni* exhibet pro *Gugerni*.

Ex varia orthographiae ratione, qua in lapidibus et codicibus Mstis literae *c* et *qu* saepe inter se permutantur [65], etiam hae

---

filiam, quippe quae ex archetypi scriptura *egreciae* pro *egregiae* orta esse videatur. Plura vide apud Drakenb. ad. Liv. VI, 25, 6, in Gesneri lex. rei rust. s. vv. *c pro g* et in Scioppii de arte crit. comment. s. vv. *c pro g* et *g pro c*.

63a) Eodem mendo Vell. II, 32, 6. *arguit* pro *arcuit* in apogr. Amerb. et II, 120, 6. *arguisse* pro *arcuisse* in ed. pr. et apogr. Amerb. scriptum est.

64) Confunduntur enim interdum literae *c* et *s*. Sic A. XII, 20. lectio codd. Ma. G. et edd. vett. *in hoc tentata beneficentia* orta est ex archetypi scriptura *in hos tētāta* i. e. *in hostem tanta beneficentia*. A. XIV, 26. init. cod. Reg. *legionibus suis* exhibet pro *l. citis*. Martial. IV, 75, 3. quidam perboni codices *sensus* praebent pro *census*. Adde frequentissimam confusionem vocabulorum *consilium* et *concilium*.

65) Cf. praeter ea, quae Schneider Gramm. Lat. I. p. 335—339 de hoc argumento in universum disputavit, Cellarii Orthogr. p. 53. 67., Vossii Etymolog. s. v. *loquor*, Maium ad Frontonis rell. p. 69. ed. Berol. et ad frag. pro Flacco p. 94, Heinrich. ad frag. pro Scauro p. 54. not. 13, Cramerum ad fr. pro Tull. p. 64, Sciopp. de arte crit. comm. s. vv. *c pro q* et *q vel qu pro c*, Goeschen. ed. Gaii Praef. not. 43. p. XXXXVIII. Sic Martial. II, 29, 3. lectio cod.

lectiones codicis Ma. ortae esse videntur: A. XIII, 9. lectio *ex quo modo* originem traxit ex archetypi scriptura *ex co modo* pro *ex commodo*, sicut in Mediceo cod. Epp. Cic. ad Fam. III, 5, 4. *quo modo* pro *commodo* legitur. A. XIII, 15. extr. cod. Ma. pro *decoquitur* exhibet formam *dequoquitur*, de qua vide Schneideri Gr. Lat. I. p. 336. A. XIV, 11. scriptura omnium fere codicum *oblita* originem duxit a lectione archetypi *oblica* pro vulgata *obliqua*. A. XV, 59. lectio codd. Mstorum et edd. vett. a Bachio ac Rupertio male revocata *nam vetus miles timebatur quanquam favore imbutus* orta est ex archetypi scriptura *canquam*, quae rursus ex genuina lectione inde a Rhenani emendatione vulgata *tanquam* perpetua fere literarum *c* et *t* confusione depravata erat. Vicissim H. IV, 68. lectio cod. R. et ed. Spir. *tanquam senatorii ordinis* originem traxit ex scriptura *canquam* pro *quanquam*.

Porro literae *c* et *t* ut in aliis codicibus Mstis [66]), ita in libris

---

Palatini *quotiens* orta esse videtur ex scriptura *cotiens*, quae in archetypo pro *totiens* extiterat mutata litera *t* cum *c*. Mart. II, 7, 5. in cod. Vossiano B. legitur *quantas* pro *cantas*. Ita factum est, ut Mart. XIII, 127, 2. lectio cod. Vossiani R. *c̄dam*, quo compendio *condam*, non *cumdam*, ut Schneidewinus ed. Mart. Vol. II. p. 733. opinatur, significatur, ex genuina scriptura *quondam* oriretur. Similiter Dial. de Oratt. 39 scriptura cod. Neapolitani a pr. m. *quam* nata est ex genuina voce *cām* i. e. *causam* (cf. Nouveau traité de diplomatique T. III. p. 359 not. 1.), quae in eodem codice a sec. m. superscripta est. Item in codd. Mstis modo *squillae* modo *scillae* scribitur, sicut Martial. XIII, 83 in lemmate et v. 2 libri scripti et editi inter utramque formam fluctuant.

66) Sic Martial. II, 90, 10 optimus cod. Vossianus R. exhibet *sic nox* pro *sit nox*. Mart. I, 3, 7 codd. Puteaneus, Vossianus C. aliique *tum* praebent pro *cum*, unde deteriores libri fecere *tam*; IV, 64, 14. cod. Wolfenbuttelanus *latet* habet pro *iacet*; VIII, 56, 21. cod. Thuaneus *dicataque* pro *ditataque*. Tac. Ann. XI, 1 et XIII, 21. in deterioribus libris verbum *excolere* pro *extollere* legitur; eademque confusio reperitur Plin. Epp. III, 2, 4. Maxime autem confunduntur particulae *ac* et *at*, *ac tamen* et *attamen*, *cum maxime* et *tum maxime*. Cf. Drakenb. ad Liv. III, 61, 4. et ad Sil. Ital. VI, 190. ac Waltherum in indice annott. sub vocc. *ac* et *cum* atque virorum doctorum commentarios, ad quos ibi relegamur. De similitudine literarum *c* et *t* in scriptura Langobardica conf. Drakenb. ad Liv. VI, 35, 2 et Sciopp. de arte crit. comment. s. vv.

Mediceis saepius inter se confusae, quin etiam a viris doctis, qui eos codd. contulerunt, interdum permutatae sunt. Sic A. II, 38. Beroaldus vulgatum *istuc* edidit ut e codice, Gronovius vero *istut* ibi legisse se affirmat: quae solemnis ejus libri scriptura pro *istud* est, ut testatur Pichena in Praef. Imprimis autem Jac. Gronovio accidit, ut e cod. Ma. literam *c* afferret, ubi alii *t* viderunt. Sic A. XIV, 16. Victorius, Pichena, Furia e cod. Ma. *contraria asseverant tum* attulerunt, Jac. Gronovius *asseverant cum*. A. XV, 23. Victorius *actiecce*, Pichena *actiercae*, Jac. Gronovius *accierce* in cod. Ma. legit addiditque vix discerni posse, sitne *ci* an *ti*; e cap. 25. Victorius *excutio Citio*, Jac. Gronovius vero *excucio Cicio* attulere. H. III, 13. Furia *in arte*, Jac. Gronovius *in arce* pro vulgata *in arto* viderunt. E contrario A. XIV, 17. Furia *incentio*, Jac. Gronovius *intentione* in cod. Ma. legi affirmant. Itaque A. XI, 4. init. quum Victorius vulgatam lectionem *at causa necis* intactam reliquerit, Pichena autem *ac causa n.* e cod. Ma. protulerit, hoc cum Kiesslingio ac Rupertio praeferam. Neque enim Acidalio, nec Ernestio, nec Walthero placuit particula *at* h. l. utique parum apta. Verum non est, quod cum Ernestio *ac* spernas. Eam enim particulam ab iis, quae universe dicta sunt, transitum facere ad accuratiorem rei enarrationem, bene observavit Handius in Doctrina stili latini p. 300. ed. pr. Ideo etiam A. III, 54. Walther vulgatam *ac nisi sqq.* ab Ernestii suspicione bene defendit.

Primum *ac* et *at* particulae in codd. Mediceis hisce locis inter se permutate sunt: A. I, 2. cod. M. exhibet *at novis ex rebus* pro *ac novis ex rebus*; A. IV, 8. *foveret attolleret* pro *foveret ac tolleret*. H. IV, 48. lectio cod. Ma. *ad M. Silanum* orta est ex archetypi scriptura *at M. Silanum* pro *ac M. Silanum*. Vicissim A. I, 36. cod. M. pro lectione *ac si*, quam ante Pichenam vulgatam rursus Wolfius cum edd. sqq. revocavit, exhibet scripturam *at si*, quam, postquam Pichena in textum receperat, nuperrime Doederlinus defendere conatus est: quippe alteram his

---

c pro t et *t pro c*. Exempla eiusdem confusionis in vett. Velleii libris passim obviae vide in Kritzii Prolegg. p. LXXXVII et XCI. Cf. etiam Od. Muelleri Praef. ed. Varr. de L. L. p. XXII.

verbis narrari metus causam, non novam et contrariam reputationem. Et certe contrarius aliquis priori metus simul ut alter et novus memoratur: nemo tamen non intelligit, utique contraria inter se opponi. Metuebatur enim ab altera parte, ne Germani, si Rheni ripam seditiosae legiones desererent, imperium Romanum invaderent, ab altera parte, ne, si fidae cohortes ad Rhenum mitterentur, quae legiones a decessione prohiberent aut ad militiae officium vi atque armis reducerent, bellum civile oriretur. Etiam in verbis sequentibus deinceps contraria contenduntur: *Periculosa severitas, flagitiosa largitio; seu nihil militi, sive omnia concedentur, in ancipiti res publica.* C. 47. autem, quem locum cum hoc comparavit Doederlinus, per particulam *ac* altera quidem, sed non diversa metus causa additur; neque enim duo illa orationis membra *quos igitur anteferret* atque *ac ne postpositi contumelia accenderentur* ut contraria inter se opponuntur. Diversitas causarum, quae quidem Tiberium angebant et cunctationem illam efficiebant, in eo potius cernitur, quod validior per Germaniam exercitus alteri Pannonico eique propiori opponitur.

A. I, 47. cod. praebet *intenderentur* pro *incenderentur*; vicissim A. XIV, 45. codd. et edd. vett. exhibent *incenderetur* pro *intenderetur*, quae est emendatio Rhenani, Merceri, Acidalii ad Waltherum usque vulgata. Walther male revocavit scripturam codicum, eumque deinceps editores secuti sunt. Tamen praecedens verbum *minuerat* requirit *intenderetur*, neque unquam audivi morem aliquem incendi. De verbo *intendere* cf. ipsum Waltherum ad A. XII, 35., ubi recte rescripsit lectionem codd. et edd. vett. *intendebant ardorem exercitus*, pro qua verbum *incendebant* ex ed. Gryphiana in textum irrepserat. A. XI, 31. lectio codicis Ma. *facientibus* orta est ex archetypi scriptura *facentibus* pro *fatentibus*. A. XIV, 8. cod. Ma. praebet *vocis* pro *votis*. C. 11. lectio *oblita* pro *obliqua* orta ex antiqua scriptura *oblica*. A. XV, 50. *Vulgacium* pro *Volcatium* et A. XVI, 8. *Volcacius* pro *Volcatius* legitur in cod. Ma; A. XV, 12. *Paccium* pro *Pactium*; H. III, 6. *Aceste* pro *Ateste*; c. 9. *cartari* pro *Tartari*; H. V, 5. *cotinebat̄* i. e. *continebatur* pro *cocinebāt* i. e. *concinebant*; cap. 7. *indicas* pro *inclitas* s. *inclutas*. Alia exempla literarum *c* et *t* commutatarum ex M. collegit Bekker in not. ad Ern. Praef. p. XV.

Haud absurde igitur A. XVI, 19. vulgatam codicum lectionem *levia carmina et faciles versus* Bezzenberger in Emendatt. delect. p. 41. correxit in *l. c. et futiles versus.* Doederlinus enim subtiliter quidem annotavit versus ludicros, jocosos de rebus amatoriis ac similibus novo significatu *faciles* dici, sed id, quod ipse conjecit, *facetos versus* displicet, quippe quum nimis a codicum scriptura recedat ac facetiarum laus ab hoc loco aliena sit. Expectares potius ex ingenio Petronii, ut *molles versus* (v. Ovid. Trist. II, 307.) vel simile quid a Tacito commemoraretur; qua re adjectivum *futiles* ductibus literarum simillimum haud ineptum mihi videtur esse. Viciasim Cic. Orat. 8, 27. cod. Einsiedl. *futile* pro *facile* exhibet. Apud Tacitum l. l. praecedens synonymon *levis* fortasse traxit vocem *facilis.*

H. IV, 29. vulgatam codicum lectionem *unde clamor acciderat, circumagere corpora, tendere arcus* recte improbasse mihi videntur Lipsius, Acidalius, Ritter, Rupertius. Arcuum enim inter Germanorum tela neque in Germania neque tot proeliis in Historiis atque Annalibus descriptis unquam apud Tacitum fit mentio: neque est, quod in hac nocturna castrorum oppugnatione, quippe cujus ratio ac natura gladiorum, hastarum, pilorum magis quam sagittarum, fundarum, tormentorum usum admiserit, praeter cetera tela, quibus eminus cominusve pugnatur, ipsi arcus commemorentur. Ac ne proximis quidem verbis *ignavorum saepe telis fortissimi cadere* vulgata firmatur: quippe vocabulum *tela* non jacula tantum eminus missa notat, sed Germanico Angriffswaffen respondet. Accedit quod cum Ernestio ac Rittero vehementer dubito, num latine dicatur, arcum tendi aliquo. Nam locutione *arcum tendi* idem significari, quod Germanica den Bogen spannen, non richten, Ritter bene docuit, nec solemnes formulae *manus ad coelum, ad Deos, ad hominem aliquem tendere* quidquam momenti ad vulgatam tuendam afferunt; immo inde patet longe diversam utriusque locutionis rationem esse. Manus enim ideo dicuntur aliquo tendi, quod a reliquo corpore quasi amoveantur atque ad rem aliquam versus porrigantur; at arcus ad scopum, quem sagittae feriant, non tenduntur, sed diriguntur. Interpretes, qui vulgatam tolerarunt, fefellit Germanicum verbum richten, quo latinum *tendere* saepe reddi potest. Itaque *artus,* Lipsii emendationem a Rittero et Ru-

pertio in textum receptam, equidem probaverim [67]. Verba Taciti enim spectant ad antecedentia *neque feriendi neque declinandi providentia.* Etenim quum cuncta tenebris mixta essent, pugnantes ad eam regionem, unde clamor aut armorum strepitus acciderat, corpora converterunt atque artus i. e. brachia ac manus scuta telaque ferentia tendebant sive hostes caesuri sive ictus declinaturi ac propulsaturi. Eadem vocabula rursus H. II, 70. coniuncta sunt: *Lacera corpora, trunci artus.* Ceterum Agric. 11. eadem confusio reperitur: ibi enim pro vulgata lectione *magni artus Germanicam originem asseverant* cod. Vat. 4498. *magni arcus* sqq. exhibet. Potuit autem H. l. l., ut in narratione pugnae, vox *artus* facillime abire in *arcus;* et medio aevo magis in usu erant arcus quam apud Romanos.

Litera *d* pro *cl,* quamvis raro, ponitur in codd. Mediceis [68],

67) Jacobus Obss. ad Tac. H. critt. II. p. 23 conjecturam *artus* probaturum se esse ait, si poetam legeremus; eos enim pro corporibus membris, pro membris artubus uti malle: e quibus ut multa assumserit Tacitus, non tamen temere quaeque invehenda esse. Diserte autem negat ullum esse locum, ubi artuum talis apud illum usus sit. At vereor, ne haec ad vulgatam lectionem omni modo tuendam magis quam ad veritatem a viro doctissimo jacta sint. Voce *artus* enim non solum singulae quaedam species partium corporis, lacerti, brachia, manus, crura, pedes, nervis articulisque cum trunco i. e. cum medio corpore connexa, ut plerumque fit, significantur, sed Tacitus universe etiam pro membris ea utitur. Cf. Ann. XIII, 35. *ambusti multorum artus* (i. e. *manus pedesque*) *vi frigoris;* H. II, 70 *lacera corpora, trunci artus;* An. II, 21. *latos barbarorum artus, nuda ora foderent;* H. II, 28 extr. *non abrumpendos corpori validissimos artus;* Agr. 11. *magni artus Germanicam originem asseverant.* Ceterum nostro loco in describendis nocturnae pugnae turbis artus secernuntur quodammodo a corporibus, sicut a Virg. Ann. IX, 490 *quae nunc artus avulsaque membra.... tellus habet?* artus a membris distinguuntur, quamquam proprie voce *membra* universae corporis partes generatim notantur.

68) Sic cod. G. Ann. XII, 55 *ditarum* pro *Clitarum* et H. III, 71 *divi* pro *clivi* exhibet. Pl. Trin. II, 4, 182 codex Sur. habet *Callidi* pro *Callicli.* Cic. Orat. 69, 231 lectio cod. Einsiedl. *yherodes* orta ex scriptura *hyerocles* pro genuina *Hierocles.* Ibid. 48, 159 vulgata ante Meyerum lectio *inclitus* vel *inclutus* originem traxit ex

ut A. IV, 59. *mare amundanum* pro *mare Amuclanum*; H. V, 7. *indicas* pro *inclitas* s. *inclutas*.

Literae *d* et *t* ut in lapidibus [69]) et codd. Mstis [70]), ita in Mediceis libris nonnunquam inter se permutatae sunt [71]). Sic

---

archetypi cujusdam scriptura *incluctus* pro lectione codd. Eins. Vit. Mon. *inductus*, quae rursus ex genuina *indoctus* nata est, quam ex codd. Vet. Stephani et Gud. 3. et ex Gellii N. A. II, 17 Meyer et Orellius revocarunt probante Beiero. In Monacensi cod. Msto comment. Porphyr. in Hor. A. P. legitur ad v. 32 *polydeti* pro *Polycleti* et ad v. 52 *tridinium* pro *triclinium*.

69) Sic in Gruteri Thesaur. Inscriptt. p. 199 no. 6 *limides* pro *limites* et p. 535 no. 6 *Badaus* pro *Batavus* ex inscriptionibus afferuntur.

70) Sic Martial. I, 4, 5 cod. Wolfenbuttelanus s. exhibet *tirisorem* pro *derisorem*, Mart. IV, 66, 17 optimus cod. Thuaneus cum Vossiano B. *reliquid* pro *reliquit*, quasi a pronomine *quid* derivandum esset. Mart. VII, 96, 3 praestantissimus cod. Vossianus R. *trietérite* pro *trieteride* praebet. Vell. II, 55. 1. in apogr. Amerb. *quando* pro *quanto* scriptum est. Varr. de L. L. VI. §. 89. p. 110. ed. Muell. in codd. legitur *idem ut praeco* pro vulgata *item u. p.*, ut Augustinus emendavit et Gryphius primus edidit. Ita Cic. Orat. 49, 164. Beier et Orellius e coniectura Ernestii scripserunt *itemque* pro vulgato *idemque*; cf. 48, 159 *itemque composuit, consuevit, concrepuit, confecit.* Cf. etiam Scioppii de arte crit. comm. s. vv. *d pro t* et *t pro d* et doctos Benedictinos in opere diplomatico saepius commemorato T. III. p. 264 not.

71) Omitto ea confusionis exempla, quae ex varia scribendi ratione, qua veteres in nonnullis vocabulis in *t* aut *d* cadentibus utebantur, originem traxerunt: qua de re Schneider Gr. Lat. I. p. 251 — 254 disputavit. Sic in cod. Ma. legitur *ad* pro coniunctione *at* hisce locis: A. XII, 8. 43. XIV, 63. pr. H. I, 53. IV, 71, ut in cod. Thuaneo Mart. XI, 104, 8; eademque scribendi ratio reperitur in vett. Velleii libris I, 14, 6. II, 10, 1. 39, 3. 86, 2. 105, 3. Cf. etiam Drakenb. ad Lib. III, 17, 3. 43, 1. Item *adque* pro *atque* scriptum est in apogr. Amerb. Vell. II, 9, 3. 84, 3. E contrario in codice M. *aliquit, aliut, aput, haut, illut, istut, quit, set* scriptum esse Pichena testatur in Praefatione, et codex Ma. Ann. XV, 16. *aput*, A. XVI, 30 *quot* et *aliut* exhibet, quas quidem formas vestigia ac reliquias eius scribendi rationis, qua librarius archetypi usus sit, esse putaverim. Itaque librarius codicis Ma., quum Ann. XVI, 22 in archetypo *quot ibi lasciviam exprobrent* videret, *quod ibi l. e.* scripsit pro genuina lectione *quo tibi l. e.*, quae ex Rhenani emen-

codex M. exhibet A. I, 3. et 77. H, 36. III, 18. *dum* pro *tum*, e contrario A. VI, 44. *tum* pro *dum*. A. I, 14. extr. in eodem libro legitur *candidatos praedurae*; c. 35. *ostendavere*; cap. 37. *istem* pro *isdem* s. *iisdem*. Cod. Ma. A. XI, 10. *Godarzen* pro *Gotarzen*; A. XIV, 8. extr. *capud* pro *caput*, c. 21. *efflagitanti* pro *efflagitandi* exhibet. A. XIII, 57. extr. lectio codd. Ma.G.Oa. ed. Spir. *resistentibus flammis* nata est ex scriptura *resitentibus flammis* pro *residentibus flammis*. A. XIV, 58. lectio codicis Ma. *aspernantium* originem traxit ex mendosa scriptura *aspernantum* pro *aspernandum*. H. I, 24. et III, 11. cod. Ma. exhibet *velud* pro *velut*, sicut Agr. 10. editio Puteolani altera. Idem ille codex H. I, 41. *Adilium* pro *Atilium*, H. II, 22. *gradibus* pro *cratibus*, c. 92. pr. *dum* pro *tum* praebet. Quae quum ita sint, H. V, 7. cum Gutmanno probaverim Salmasii emendationem *solidam in speciem* pro lectione codd. Mstorum vulgata *solitam in speciem*.

Litera *e* vel *E* cum *f* vel *F* [72]) in codice M. commutata est A. I, 34. 41. extr. IV, 41., quibus locis *elexit* pro *flexit* in eo scriptum est, A. III, 21. init., ubi *eusti* pro *fusti* legitur. H. IV, 50. lectio codd. Ma.G. *Offensium* ex mendosa scriptura *OFENSIUM* pro vulgata *OEENSIUM* orta esse mihi videtur. Vicissim H. V, 1. scriptura codd. Ma. V. Lipsii *ut superiori unam crederetur* inde originem traxisse videtur, quod archetypum exemplar pro genuina lectione a Lipsio investigata SUPER FORTUNAM commutata insuper T litera cum I exhibuerat: SUPEREORIUNAM.

Itaque Bezzenberger l. l. p. 34. egregie emendavit locum corruptum A. XIV, 16. extr., ubi, quum codex Ma. praebeat *etiam sapientiae doctoribus impartiebat post epulas, utque contraria asseverant tum discordiae rueretur*, ille conjecit legendum esse *etiam . . . . . utque contraria asseverantium discordia frueretur*. Ceterum verba *utque contraria asseverantium* in codd. A.B. (a sec.

---

datione vulgatur. Similiter Mart. VI, 34, 1 et 7 codd. R.T.A.B.G. habent *quod* pro *quot*. Cf. etiam Goeschen. Praef. ed. Gaii not. 41. p. XXXXVII sq.

72) Sic Plaut. Bacch. IV, 4, 108 vulgatam lectionem *fugiamus* quidam viri docti in *euge eamus* bene mutarunt, quippe quum fugae commemoratio inepta sit. Suspicor in archetypo scriptum fuisse FVGEAMVS absorpta insuper alterutra E litera ex vulgari mendo

m.) Oa. (a pr. m.) R. atque in omnibus editionibus leguntur inde a Puteolano usque ad Oberlinum, qui cum Bekkero, Rittero, Rupertio particulam *que* omisit. Proxime autem ad Bezzenbergeri emendationem accessit Bachius, qui probante Doederlino edidit *utque contraria asseverantium discordia erueretur*. Doederlinus putat, conjunctionem *ut* pendere ex verbo *faciebat, efficiebat* vel *curabat*, quod ex locutione *tempus impartiebat* ad alterum sententiae membrum intelligendum sit. Sin conjecturam *frueretur* probas, ea ellipsi non opus est, sed particula *ut* sua utitur significatione, qua consilium ac finem, quo quid factum sit, indicat. Particula *que* autem verba *post epulas*, quae rationem ac modum continent, quibus Nero philosophis tempus impertiverit, conjunguntur cum enuntiatione finali, qua declaratur, quo consilio tempus philosophis impertiverit. Ideo et verba *post epulas* verbo *impartiebat* postposita sunt, ut ea cum enuntiato finali jungenda esse facile intelligatur. Ita duplex erat Neronis ludibrium — ut Doederlini verbis utar — primum, quod speciem philosophandi induebat tempore ad id negotium minime idoneo [73]), quippe quo venter cibo ac vino gravis esset, alterum, quod philosophos non ad veritatem investigandam accibat, neque ut erudiretur, sed quo discordia oblectaretur philosophorum, qui, ut inter diversas sectas rixosissimi generis hominum hodieque fieri solet, contraria pervicacius asseverantes se mutuo vexabant atque corripiebant. Conjectura *frueretur* proximis statim hisce verbis Taciti firmatur: *Nec deerant, qui ore vultuque tristi inter oblectamenta regia spectari cuperent.* De vi atque usu verbi *frui* cf. virorum doctorum commentarios a Rupertio ad A. II, 13. commemoratos. Qui autem vulgatam *erueretur* retinent, ab usu loquendi discedere mihi videntur. Nam veritas quidem eruitur, non tamen discordia, nisi si abdita et occulta dicitur.

Literae *e* et *i* ut in aliis codd. Mstis [74]), ita in libris Med.

---

73) Cf. Cic. Tusc. V, 35, 101: *Ne mente quidem recte uti possumus multo cibo et potione completi.*

74) Sic Cic. Epp. ad Fam. I, 1, 3 cod. Med. *assentire* pro *assentiri* et II, 6, 1 *perferre* pro *perferri* praebet. Tac. Agr. 34 extr. in cod. Vat. 3429. *imputare* pro *imputari* legitur. Martial I, 2, 6 codex Puteaneus *urbi* pro *urbe* et VI, 34, 3 *mares* pro *maris* exhibet. Mart. I, 3, 5 idem codex cum Vossiano B. et Gudiano

saepissime inter se permutantur. Exemplis e codice M. a Bekkero in nota ad Ernestii Praef. p. XV. collectis adde haec: A. I, 20. *accipere* pro *accepere*; c. 28. *percennioni* pro *Percennione*; cap. 30. *considerant* pro *consederant*; c. 45. *molis* pro *moles*; cap. 64. pr. *sequi* pro *seque*. A. II, 11. *deducere* pro *diducere* [74a]; cap. 31. *derexit* pro *direxit*; c. 34. *illi abscissit* pro *ille abscessit*; c. 45. *deriguntur* pro *diriguntur*; c. 46. *recente libertate* pro

---

iuvenisque senisque praebet pro *iuvenesque senesque*. Ibid. 4, 5 optimi cod. Thuanei lectio *Temelen* orta est ex scriptura archetypi *Thimelen* vel *Timelen* pro *Thymelen*, id quod patet ex varietate lectionis a Schneidewino collecta. Mart. III, 4, 1 idem codex *requirit* pro *requiret* habet, v. 2 *Aemeliae....viae* pro *Aemiliae....viae*, ibid. 57, 1 *vindidit* pro *vendidit*, VII, 54, 7 *avis* pro *aves*, X, 48, 18 *additur* pro *addetur*, XIV, 8, 1 *legeret* pro *legerit*, ibid. 24, 1 *crinis* pro *crines*. Mart. XIII, 127, 2 idem liber cum Vossiano R. exhibet *viris* pro *veris*. Mart. XII, 82, 12 in codd. X.A.B.C. legitur *colligit* pro *colliget*. Ideo et particularum *ergo* et *igitur* compendia $\overset{g}{e}$ et $\overset{g}{i}$ (v. Orell. ad Cic. Orat. 15, 49 p. 39 ed. seorsum emiss.) saepe in libris Mstis confusa sunt, sicut Cic. Orat. 35, 123 cod. Erlang. *is igitur erit eloquens* pro vulgata *is erit ergo eloquens* exhibet, ibid. 52, 174 cod. Viteb. *primum igitur origo* pro *primum ergo origo*, ibid. 57, 191 cod. Einsiedl. *sequitur igitur* pro *sequitur ergo*, et Martial. II, 17, 5. deteriores libri habent *quid ergo facit* pro lectione optimorum codd. *quid igitur facit*, quam Schneidewinus edidit. Huc pertinet etiam frequens confusio particularum *atque* et *atqui*, de qua videas Drakenb. ad Liv. III, 52, 8. et V, 4, 1. Spalding. ad Quintil. IV, 2, 10. et 80. IV, 3, 17. Gernhard. ad Cic. Cat. Maior. 14, 50. Sic Cic. Brut. 18, 72. 80, 279. Off. III, 11, 48. Tuscul. III, 7, 14. Epp. ad Fam. IX, 22, 1. libri inter utramque particulam fluctuant. Magnam copiam locorum, quibus veteres Velleii libri modo *e* pro *i*, modo *i* pro *e* habent, collegit Kritzius Prolegg. p. LXXXVII. sq. In universum cf. de causa et origine huius permutationis Schneideri Gramm. Lat. I. p. 13—18, Lerschium in libro, qui inscribitur *Centralmuseum rheinländ. Inschriften*, Vol. I. p. 10, Osannum in Diariis antiq. litt. a. 1841. no. 119. p. 990.

74a) Perpetua fere in codd. Mstis est horum verborum commutatio, v. c. ap. Hor. A. P. 129. Juven. I, 157. Pers. III, 56. Tac. H. IV, 46. Cf. Drakenb. ad Sil. Ital. XV, 184. Cort. ad Lucan. II, 294. Loers. ad Ovid. Trist. p. 47, quos commemorat C. Fr. Hermannus in disputatione altera de usu et auctoritate scholl. Persian. p. 35. n. 65.

recenti libertate; A. III, 66. *Bruttedius Niger* pro *Brutidius Niger*; A. IV, 66. *conixius* pro *connexus*; A. VI, 45. extr. *vincerent* pro *vincirent*. En exempla e codice Ma. congesta: A. XI, 18. *magnis delectis* pro *magnis delictis*; A. XI, 22. extr. *receperavissent* pro *reciperavissent*; A XIII, 47. *via flaminea* pro *via Flaminia*; c. 57. lectio Ma. codicis *alimentis* orta ex *elimentis* pro *elementis*. A. XIV, 33. *aliorum insignes* originem traxit ex scriptura *aliorum signes* pro *aliorum* (vel *laborum*) *segnes*. A. XV, 53. cod. Ma. exhibet *accedens* pro *accidens*; c. 59. *vincerent* pro *vincirent*; A. XVI, 14. *innixum* pro *innexum*; H. III, 53. init *evilnissint* pro *eviluissent*; H. IV, 32. *recipi* pro *recepi*; c. 58. *sufficit* pro *suffecit*; c. 70. *sicutis* pro *secutis*; H. V, 10. *excipere* pro *excepere*. Quin ex uno eodemque codice H. II, 41. extr. Victorius *relibebantur*, Jac. Gronovius *relebebantur* prodiderunt. H. III, 27. lectio codd. Ma.G. et edd. vett. *legiones* orta ex scriptura *legones* pro *ligones*. Denique ita factum esse videtur, ut inf. praes. pass. cum inf. praes. act. in codd. Med. haud raro mutaretur. Haec sunt exempla: A. I, 3. *destinare* pro *destinari*, A. II, 30. *interrogare* pro *interrogari*; A. XI, 7. *praeparare* pro *praeparari*; A. XIV, 60. *tuere* pro *tueri*; A. XV, 5. *circumsedere* pro *circumsederi*, c. 59. *sperare* pro *sperari*; H. III, 86. *continere* pro *contineri*; H. IV, 81. *integrare* pro *integrari*.

Optime igitur Bezzenberger l. l. p. 27. cum Vertranio Ann. XI, 20. rescripsit *inter Mosam Rhenumque trium et viginti millium spatio fossam perduxit, qua incerta Oceani* vitarentur pro vulgato *vetarentur*, quod pro *arcerentur* dictum putat Doederlinus collato loco scenici poetae Sen. Herc. Oet. 1624: *Stat vasta late quercus et Phoebum vetat.* Sed ut concedam etiam a Tacito *vetare* pro *arcere* dici posse, tamen incerta Oceani i. e. aestuaria et loca vadosa per fossam illam non arcebantur, sed vitabantur. Quippe naves ipsa fossa facta ne adibant quidem aestuaria et Oceanum, sed legiones atque commeatus e Gallia et Germania inferiore per Mosam et fossam illam Rhenumque, dein per Drusianam fossam ac lacus ad Frisios Chaucosque vehebant. Itaque vitatis itineris maritimi periculis, navigabilia inter se fiebant Galliae et Germaniae litora. Undecim annis post similem ob causam L. Vetus Mosellam atque Ararim facta inter utrumque fossa

connectebat, ut difficultates ac pericula maritimi per Oceanum itineris vitarentur et commercium inter Occidentem atque Orientem expediretur. V. A. XIII, 53. Ceterum diversam causam factae a Corbulone fossae rettulit Dio Cass. LX, 30, cujus tamen verbis nec vulgata lectio explicatur aut firmatur.

Nec minus recte A. XIII, 36. Pichena scripturam cod. Ma. *ne pugnam priores **audirent** in **auderent*** mutavisse mihi videtur, quod cod. Vaticanus Lipsii praebuit. In edd. vett. ante Pichenam atque posthac in edd. Ernest. Oberl. Bekk. Ritt. legitur *adirent* ex codicibus familiae Genuensis. Egregie autem Walther lectionem cod. Vaticani defendit, quam alteri longe praeferendam esse demonstravit. Accedit ratio palaeographica, quod, quamquam Ernestio concedendum est verba *adire* et *audire* interdum in libris Mstis permutari [75]), id in codice Ma. semel [76]) tantum (A. XV, 36.)

75) Cf. supra notam 46. p. 84 sq.

76) Ann. XIII, 5 enim lectionem codd. et edd. vett. *velo discreta, quod visum arceret, **auditus** non adimeret* post Waltherum egregie defendit Pabstius in Observatt. in Tacitum indici scholarum Gymn. Arnstad. a. 1837. praemissis p. 8. contra coniecturas Lipsii *auditus*, Pichenae *auditum*, quarum illam Freinsh. Gronov. Ernest. Kiessl. Walth. Bach. Ritt. Rup., hanc Bipont. Oberl. Bekk. in textum intulerunt. Etenim ut omittam — id quod Pabstius monuit — propter antecedens vocabulum *visum* librarios, si quidem oscitantiae vel socordiae vitium commisissent, potius *aditus* in *auditus* vel *auditum* mutaturos fuisse, quam vicissim: propter ipsam singularis formam *visum* expectares, ut Tacitus, si revera de **audiendo** sermo esset, non *auditus*, sed *auditum* scripsisset, quum tamen libri Msti et edd. vett. *aditus* praebeant. Lipsius quidem affirmat, adiri conspicive noluisse Agrippinam, sed Pabstius hanc summi critici sententiam temere iactam optime refutavit hisce verbis: „Hoc *conspici* concedere quidem possumus, nec vero illud *adiri*. Agrippina ut senatorum, qui ab ipsius parte stabant, consilia adiuvare posset, in palatium convenire senatum iusserat: iam vero ipsa, quamquam senatui interesse nolebat, femina virorum coetui, quippe quod indecorum videretur, velo discreta **aditus** tamen non adimebat." Idem fere legi apud Ammian. Marcell. XIV, 9, 2. idem ille docuit, qui et relegavit nos ad Hammeri Hist. regni Turcici Tom. IV. p. 561, ubi mater Mustafae, Imperatoris Turcarum, femina dominationis avidissima, altera Agrippina, cum seditiosis militibus per aulaeum egisse narratur. Vides hoc loco Taciti editores ipsis librariis festinantius ac socordius egisse.

factum est, ibique verbum *audire* brevi antecedens formam *auditurus* traxit. Rursus vix unum aut alterum locum reperies, quo librarius cod. Ma., incertum an archetypum secutus, verbum *audere* in *audire* non corruperit. Ita in cod. Ma. legitur A. XIV, 58. *audienti*; A. XV, 53. *audientiae*; H. I, 3. *audientes*; c. 6. *audienti*; c, 21. *audiendumque*; c. 60. extr. *audiendo*; H. II, 78. init. *audientius* pro *audenti*, *audentiae*, *audentes* etc. Itaque suspicor etiam H. IV, 49. scripturam ed. Spir. *audiendi* in Ma. reperiri.

Literae *f* et *t* in codice Ma. hisce locis confusae sunt [76a]): A. XIV, 8. *retractaque janua* in eo legitur pro *refractaque janua*; H. I, 47. *omisisse tot fensas* pro *omisisset offensas*; c. 51. *confractae legiones* pro *contractae legiones*; H. IV, 29. *et fulgens* pro *effulgens*; c. 30. *infra castra* pro *intra castra*. Ita H. III, 77. varietas lectionis orta est ex archetypi scriptura *tradi furum* pro genuina *traditurum*, quam Bekker, Ritter, Rupertius per conjecturam rescripserunt [76b]). Exhibent enim codd. Ma.A.B.Oa. (in marg.) ed. Spir. *tradi futurum*, codd. G.H.O.Oa. edd. Put. sqq. *furtim traditurum*. Recte igitur A. XII, 68. pr. Bezzenberger l. l. p. 30. vulgatam lectionem *cum jam exanimis vestibus et fomentis obtegeretur* mutavit in *tomentis*. Et certe ad mortuorum corpora obtegenda fomenta adhiberi non solent.

Frequentissima autem est confusio literarum *i* et *l* [77]) in

---

76a) Eiusmodi confusionis exempla in vett. Velleii libris obvia vid. in Kritz. Prolegg. p. LXXXVIII et. XCI. Cfr. etiam Scioppii de arte crit. comment. s. vv. *f pro t* et *t pro f*.

76b) Lectionem *traditurum* probavit et Kritzius ad Vell. II, 130, 3. p. 547, quamquam *tradi futurum* ex sola illius vocabuli distractione ortum putat.

77) Eadem confusio in aliis quoque libris Mstis subinde reperitur. Sic Agric. 9 in cod. Vat. 4498. *facultas* pro *facilitas* (de qua perpetua confusione cfr. H. Stephani Castigg. Cic. p. 107.) et Germ. 28. in codd. Mstis et edd. vett. *Neruli* pro *Nervii* legitur. Germ. 22. plerique codd. *ioci* pro *loci* exhibent, ut Martial. XI, 65, 4 cod. Palatinus *iocus* pro *locus*. Martial. VIII, 37, 1 et 4 multi et boni libri *Caletano* pro *Caietano* praebent. Ibid. XII, 82, 11 in cod. Puteaneo *iagonae* pro *lagonae* s. *lagenae* legitur. Varr. de L. L. V. §. 83. p. 33. ed. Muell. p. 25. ed. Bip. pro vulgato *uls* codd.

codd. Mediceis facta. Eae enim literae in Romana scriptura, quae minuta semiquadrata dicitur, atque in Langobardica plerumque sola magnitudine et interdum ne ea quidem inter se differunt, id quod facile est intellectu ex speciminibus scripturae codicis Florentini Pandectarum et alterius Medicei libri Taciti, quae Mabillonius de Re Diplomatica tab. VII. p. 357. et tab. V. p. 353. atque docti Benedictini in opere diplomatico saepius jam laudato Tom. III. tab. 49. ediderunt. Itaque A. I, 22. cod. M. exhibet *ablegeris* pro *abieceris*, sicut A. XIII, 29. extr. cod. G. et ed. Spir. *deiecit* pro *delegit* [78]). A. I, 77. extr. cod. Ma. praebet *fleret* pro *feret*; A. II, 11. *circumlectum* pro *circumiectum*; c. 32. et 60. *delectus* pro *deiectus*; A. IV, 25. *delectis* pro *deiectis*. Vicissim A. IV, 44. *deiectus* pro *delectus*, c. 72. *deiegit* pro *delegit* et H. V, 23. *eiectum* pro *electum* legitur in libris Mediceis. A. II, 32. cod. Ma. exhibet *Galius Asinius* pro *Gallus Asinius*; A. III, 29. *conglarium* pro *congiarium*; A. IV, 55. *tralltanique* pro *Trallianique*. A. VI, 41. lectio codicis *Cietarum* orta ex scriptura archetypi *Cletarum* pro *Clitarum*; A. XI, 6. init. cod. Ma. exhibet *Sillus* pro *Silius*; c. 22. lectio cod. Ma. *post legem Suillae* originem traxisse videtur ex scriptura *post lege Suilae* pro *p. l. Sullae*; A. XII, 33. idem liber exhibet *Ordolucas* pro *Ordovicas*; A. XIII, 22. *Pantello* pro *P. Anteio*, sicut c. 39. in nonnullis libris *Instello* vel *Justello* vel *Vistello* pro *Insteio* legitur. C. 56. cod. Ma. habet *bolocalo* pro *Boiocalo*; A. XV, 7. *consiliaria insignia* pro *consularia i.*, ut H. II, 37. cod. G. cum edd. vett. *consiliarium* pro *consularium*. A. XVI, 10. cod. Ma. exhibet *helulatu* pro *eiulatu*; H. II, 93. *Germanorum Gauorumque* pro *G. Gallo-*

---

habent *uis* aut *ius*. Cfr. etiam Kritz. Prolegg. ed. Vell. p. LXXXIX. Od. Mueller. Praef. ed. Varron. p. XXII. Sciopp. de arte crit. comm. s. vv. *i* pro *l* et *l* pro *i*.

78) Quare Martial. I, 60, 6 Salmasii et C. Barthii emendationem *non nisi deiecta pascitur ille fera* cum J. Fr. Gronovio ac Doederlino ad Tac. Ann. IV, 25 vulgatae lectioni codd. Mstorum et edd. vett. *delecta* praetulerim coll. Phaedr. II, 1, 1: *Super iuvencum stabat deiectum leo.* Nec minus feliciter Cic. pro Flacco 15, 57 scriptura codd. Mstorum et edd. vett. *legerit* a Victorio Varr. lectt. XIII, 22 in *iecerit* est emendata.

rumque; H. III, 25. *platos patris manes* pro *piatos p. m.*; cap. 69. *Gratilia* pro *Gratilla*; c. 72. *Pulvilius* pro *Pulvillus*; H. IV, 64. *auis* pro *aliis*; H. V, 22. *flumine inpia* pro *flumine Lupia*.

Eadem confusione quodammodo firmatur palmaris Marklandi emendatio a Bipont. Oberl. Bekk. Ritt. Doed. recepta. Ille enim A. XVI, 19. lectionem codd. Mstorum et edd. vett. *iniit et vias, somno indulsit* correxit in *iniit epulas, somno i.* Primum autem *epuias* scriptum fuisse videtur, unde lectio *et uias* eadem ratione orta est, qua A. XIV, 21. in codd. et vett. edd. *potius* pro *totius*, A. XV, 55. in cod. Ms. *et aphroditum* pro *Epaphroditum* legitur. Locutio *inire epulas* etiam A. XV, 52. reperitur, sicut *inire convivium* A. IV, 10. A. XV, 54 et 58. Suet. Aug. 74 et 76. Eadem a Valerio Asiatico atque a Lucano facta referunt Tac. A. XI, 3. et Suet. Vit. Lucani; et similem exitum Pontiae cujusdam commemorat vetus scholiasta Juvenal. ad Sat. VI, 638 sqq. hisce verbis: *Pontia Publii Petronii filia, quem Nero convictum* (vett. libri exhibent *quam Nero convictam* ob antecedentem Pontiam) *in crimine conjurationis damnavit, defuncto marito filios suos veneno necasse convicta, quum largis se epulis onerasset et* [79])

79) In vett. libris Mstis Budensi Pithoei et Sangallensi Crameri ante *venis* inseritur vocabulum *veneno*, quod librarius archetypi, ex quo utrumque codicem descriptum esse Cramer Praef. p. 14 judicavit, quum oculi propter simile verborum *venis* et *veneno* initium in antecedentem lineam aberrassent, inde mendose repetivit, tum vero subjectis punctis ut falsum notare neglexit. In iis enim scholiis, quae Schurzfleischius edidit, quaeque idem, quod Pithoeanus scholiasta, iisdem fere verbis de Pontia referunt, vini nulla omnino fit mentio. Haec autem in illis leguntur: *Pontia .... largiter est epulata incisisque venis a se ipsa exstincta.* Vallae coniecturam *vino* pro *veneno* Heinrichius in textum scholiastae temere recepit, ne mentione quidem facta lectionis codicum et veterum editionum. *Vino* meram coniecturam esse modo dixi. Etenim quamquam apud Vallam teste Cramero hoc schol. sic refertur: *Haec est Pontia, Publii Petronii filia, quae defuncto Drymione marito, filios suos occidit, sed coniuncta* (lege: *convicta*), *ut largo vino atque epulis se obruerat, incinis venis sultans, cui rei studiosa fuerat, extincta est*; tamen, si scholii formam in codd. Pithoeano, Sangallensi et Schurzfleischiano servatam respexeris simulque hoc reputaveris,

venis incisis saltans, *quo maxime studio oblectabatur*, *extincta est.* Et certe quid aptius ingenio Petronii atque illi saeculo, quam ut solitas epulas iniret, post coenam somno indulgeret, ut quamvis coacta mors fortuitae similis esset? Nihil fecit ille, nisi quod Romanis in quotidiano usu erat. Contra nova plane atque inaudita est locutio *vias inire* pro solemni formula *in publicum procedere.* Accedit quod particula *et* friget ut supervacanea otiosaque et sermonis concinnitati noxia. Jure igitur mirabere Waltherum, Bachium, Rupertium lectionem codicum anxie revocasse. Ceterum censeo interpunctionem, quae dicitur, mutandam esse. Deleto enim puncto ante *iniit epulas* haec verba conjungas cum iis, quae proxime antecedunt: quippe, si quid recte sentio, verba *ut quamquam coacta mors fortuitae similis esset* non solum ad epulas et somnum, sed etiam ad condicionem servorum referenda esse videntur. Eadem quidem sententia inest in Bezzenbergeri (l. l. p. 41.) conjectura *iniit convivia*, quae tamen longius recedit a scriptura codicum, quum praesertim particula *et* nulla ratione reddita de medio removeatur. Ceterum si Bezzenbergeri emendationem probes, lectionem *vias* inde ortam putabis, quod, alterutra *syllaba vi* omissa, litera *s* ex sequenti voce *somno* adhaeserit, itaque *cvias* pro *convivia* in archetypo scriptum fuerit. Syllabam *con* autem per compendium *c* scriptam saepe omissam notavit Orellius ad Cic. Orat. 38, 135. p. 95.

---

quod Cramer Praef. p. 5 sq. memorat, volvendo Vallae Commentarium compertum se habere, eum non solum a d s u a m s a e p e o r a t i o n e m s c h o l i a s t a e v e r b a c o n t o r s i s s e, sed etiam plurime suppressisse, alia sibi adscripsisse, non dubitabis, quin Valla sensum scholii vetusti suis ipsius verbis expresserit et vocabulum *vino* ex otioso illo *veneno* suo ingenio effinxerit. Quodsi quis aliquod vocabulum in *vino* latere putet, emendatio *vino mero*, in quam ipse quondam incidi, et ad literarum ductus propius accedere et orationem magis concinnam reddere videtur. Sed vix crediderim scholiastam ea verborum collocatione, qua verba *vino mero* cetera sequerentur claudicantia, usum fuisse. Expectares saltem: *cum largis se epulis et mero* (vel *multo*) *vino onerasset.* Neque vero feminis Romanis moris erat vinum bibere. Contra omisso vocabulo *veneno* omnia sana; nec opus est particulam *et* delere; quamquam post illatum illud *veneno* facile *et* ex *onerasset* repeti potuit.

Literae *i* et *t* cum in specimine celeberrimi codicis Pandectarum Florentini sub finem saeculi sexti semiquadratis literis Romanis scripti, quod Mabillonius de Re Diplomatica tab. VII. p. 357. edidit, interdum fere non distinguuntur, tum in codd. Mstis Mediceis Taciti saepius confunduntur [80]): quin et factum est, ut in uno eodemque codice Ma. H. III, 8. Pichena *intertectus exercitus*, Victorius et Furia *interiectus e.* legerent.

En exempla ejus confusionis: A. I, 13. codex M. exhibet *et usque* pro *eiusque*; c. 52. lectio codicis *inspectam* orta est ex scriptura *inspectem* pro *in speciem*; c. 64. codex praebet *inclinantis tam legiones* pro *i. iam l.*; H. II, 69. *adfectae tam imperii opes* pro *adfectae iam i. o.*; A. IV, 41. init. *non tam* pro *non iam*. A. III, 8. codex exhibet *praescripta*

80) Has literas in vett. libris Mstis saepe confusas esse docuit Scioppius in comment. de arte critica s. vv. *i pro t* et *t pro i*. Sic Cic. ad Fam. IX, 14, 3 *ei gratulor* pro *et gratulor* et XV, 4, 5. *egi et per literas gratias* pro *egi ei p. l. g.* in cod. Med. legitur. Brut. 26, 100 codd. et edd. vett. habent *et* pro *ei*, quod Orellius ex Gruteri emendatione rescripsit. Dial. de Oratt. c. 17 codd. Neap. Paris. Perizon. exhibent *qui se fatebatur et pugnae interfuisse, qua* sqq. pro *q. s. f. ei p.* sqq. Eadem confusio reperitur nonnullis Velleii locis et Quintil. V, 10, 96. Cf. Drakenb. ad Liv. XLI, 15, 6 et commentarios vv. dd. ab eo laudatos. Martial. III, 60, 1 in libris familiae C, a scriptum est *non tam* pro *non iam*, sicut VI, 33, 4 *tam miser et futuit* vulgabatur ante Schneidewinum, qui optimorum codicum scripturam *iam m. e. f.* iure praetulit. Ita Mart. II, 5, 3 vulgatam ad Schneidewinum usque lectionem omnium fere codicum *distinguunt* vel *distingunt* ortam puto ex genuina scriptura *disiungunt*, quam novissimus ille Martialis editor ex optimo cod. Thuaneo restituit. Mart. IV, 64, 1. 36. lectio multorum librorum Mstorum et editorum *Tulli* orta esse videtur ex scriptura *Tuli* pro genuina *Juli*. Mart. XIII, 66, 1 lectio codd. X. A. B. G. *perduro dente* orta est ex archetypi cuiusdam scriptura *perturo d.* pro genuina *periuro d.* Eiusdem confusionis aliquot exempla in Velleii cod. Murbacensi apographoque Amerbachiano obvia collegit Kritzius in praestantissimae editionis Prolegg. p. XCI. Adde Vell. II, 37, 5, ubi Ruhnkenius depravatam ed. pr. et apogr. Amerb. lectionem *Syria aliaeque . . . provinciae ereptae et aliae restitutae populo Romano* ita emendavit: *S. a. p. e. ei; aliae r. p. R.* Cfr. etiam Mueller. Praef. ed. Varr. p. XXII.

et a Tiberio pro *praescripta ei a Tiberio*; A. III, 69. *minutura* pro *minui iura*; A. IV, 10. *quae prima et apud filium epulanti offerretur* pro *quae prima ei apud* sqq. C. 28. init. lectio codicis *nomenque viri q. vibius serenus* orta esse mihi videtur ex scriptura *nomen u i r i q u e q. vibius serenus* pro genuina *nomen utrique Q. Vibius Serenus.* Vulgatur minus bene *nomen utrique Vibius Serenus.* C. 55. codex habet *tralitanique* pro *Tralianique.* Ann. VI, 36. *aliosque occultos consilit* in codice legitur pro *aliosque occultos consilii.* A. XII, 43. lectio codicis Ma. *subvenientum* pro *subventum* inde orta est, quod, quum in archetypo *subveniem* scriptum fuisset litera *t* cum *i* commutata, sive lector aliquis sive librarius syllabam *ent* superscripserat, ut *subventum* legeretur. A. XIV, 16. cod. Ma. praebet *asseverant tum* pro *asseverantium*; c. 40. *et propinquus* pro *ei propinquus.* A. XV, 70. lectio codicis Ma. *eximmane na et lucani* originem duxit ex mendosa ar-
ne
chetypi scriptura *eximmana et lucani* pro genuina a Rhenano restituta *exin M. Annaei Lucani.* Ceterum *exim* scripsit librarius cod. Ma. pro *exin* etiam A. XV, 20. init. Dein A. XVI, 12. lectio cod. Ma. *nomen iunctum* ex archetypi scriptura *nomen iuntum* pro *nomen Junium* nata est [81]) H. I, 3. extr. cod. Ma. exhibet *magis vetustis indiciis* pro *magisve iustis indiciis*; H. II, 14. *universa mire virorum alam* pro *universam Treverorum alam*; cap. 28. *ire virorum* pro *Treverorum*; c. 74. *iniant a mole belli* pro *in tanta mole belli*; c. 85. *allictebant* pro *alliciebant*; H. III, 10. *Apontanus* pro *Aponianus*; H. IV, 37. *Caitis* pro *Cattis* s. *Chattis*; c. 63. *saevitia ingenti* pro *saevitia ingenii.* H. V, 1. init. lectio codd. Ma. Vat. *superiori unam* orta esse videtur ex scriptura *supereoriunam* pro *super fortunam*, litera *f* insuper cum *e* commutata.

Ita et factum est, ut conjunctio *ut* a librariis codd. Medi-

---

81) Similiter originem duxit An. XV, 44 lectio cod. Ma. *coniuncti sunt* ex archetypi scriptura *coniucti sunt* pro *convicti sunt*, sicut Vallae schol. ad Juvenal. VI, 638 p. 270 ed. Cram. *coniuncta* pro *convicta* exhibet. Huc pertinet etiam lectio cod. Ma. Tac. Ann. XVI, 10 init. *vincendo* pro *viuendo*; plura vide supra p. 46. sq., ubi de septimo vitiorum genere rettuli.

ceorum cum *ui* sive *vi* interdum commutaretur[82]). Sic codex A. III, 28. *inducti visi* exhibet pro *inducti ut si.* A. XI, 20. cod. Ma. praebet *vi tamen miles otium exueret* pro *ut tamen* sqq.; H. I, 85. *vim* pro *ut*; H. II, 48. *necui periturus* pro *nec ut periturus*; A. IV, 22. *vi copiae in castra conveherentur* pro *ut copiae* sqq. Quibus exemplis probatur Jac. Gronovii emendatio loci H. III, 43. Is enim e scriptura cod. Ma. *quae v i paratu firma et aucta rumore . . . increbuere* bene elicuit *quae u t paratu* sqq. pro vulgata lectione *quae u b i paratu* sqq.; quamquam utrique scripturae eadem inest sententia. Certissima vero emendatione, quam sententia loci omnino postulat, Schneider apud Bachium H. III, 56. orationem Taciti sanavit. E verbis enim codd. Mstorum familiae Romanae: *accessit dirum omen, profugus altaribus taurus disiecto sacrificii apparatu, longe n e c u i* (vel *n e c v i*) *feriri hostias mos est, confossus* conjecit vir doctissimus legendum esse: *accessit . . . . . longe n e c, u t feriri hostias mos est, confossus.* Contra vulgata ex Lipsii emendatione lectio *longe n e c, u b i* sqq. propter id, quod proxime antecedit, adverbium *longe* friget utpote tautologiam quandam Tacito invehens. Recte igitur Bachius et Rupertius Schneideri conjecturam in textum recipere dignati sunt. Similiter A. XIV, 48. corrupta lectio cod. Ma. *tum primum revocata ea lex credebatur quae haud perinde exitium Antistio quam imperatori gloriam q u a e s i v i t condemnatus . . .*

---

82) Sic Cic. ad Att. IX, 18, 1 extr. in cod. Med. a pr. m. *at ego m e a m a u t* (a sec. m. *me amabo*) legitur pro vulgata Victorii emendatione *at ego me a m a v i*, quae auctoritate cod. Oxon. ψ. firmari videtur. Vell. Paterc. II, 51, 1 editio princeps (cum silentio Burerii, qui eam cum cod. Murbacensi diligentissime contulit) et apographum Amerbach. exhibent *ui rebatur* pro vulgata ex emendatione Amerbachii et Rhenani lectione *ut rebatur.* Itaque Vell. Pat. II, 85, 6 ex scriptura ed. pr. (cum sil. Burerii) *uidebit e suo an Cleopatrae arbitrio victoriam temperaturus fuerat*, apogr. Amerb. *uidebites ne an Cleopatrae . . . . fuerat* felicissimam hanc emendationem elicuit Kritzius: *ut dubites suo, an Cleopatrae . . . . fuerit.* Praeiverunt aliqua ex parte Burerius, qui coniecit *ut dubites suone, an Cleopatrae* sqq., Vossius, qui coniunctivum *fuerit* restituit. Plura videbis collata a Drakenb. ad Liv. IV, 51, 6 et a viris doctis, qui ibi commemorantur.

morti eximeretur inde orta esse videtur, quod in archetypo scriptum fuerit *lex credebatur quae . . . . . gloriam quaeriui* sqq. pro vera scriptura ab Acidalio extricata *tum primum revocata ea lex: credebaturque . . . . . gloriam quaeri, ut condemnatus . . . . . morti eximeretur.* Quippe librarius, quoniam literae *r* et *s* Langobardicae ita inter se similes sunt, ut interdum fere non discernantur, scripsit *quaesivit*, quum ratio loci corrupti verbum finitum efflagitare ei videretur. Acidalii emendationem, quae a literarum ductibus ceteris conjecturis propius abest et sententiae aeque convenit, Jac. Gronovius, Kiesslingius, Bekker, Ritter, Bachius receperunt.

Quodsi tot exempla literarum *i* et *t* a librariis confusarum consideraveris, mirabere [83]), quod Ann. XI, 7 init. nullus adhuc

---

83) Magis etiam mirabere, quod Dronkius vel in secunda Agricolae editione bonae frugis plena eum Doederlino Actt. philol. Monac. Vol. III, 2. p. 382. et cum Beckero Hertelioque Agric. 42. lectionem codd. et edd. vett. aperte corruptam *postremo non tam obscuri* retinuit, quamvis eam addubitavisse videatur, quum omnia suadeant Rhenani emendationem *p. non iam o.* Sententia enim obstat, quominus supplendo *quam antea* rarissimae ellipsis exemplum statuamus. Quippe Tacitus non id dicit, peritos cogitationum principis primo perquam obscuris ac tectis verbis, dein etsi minus occulte, occulte tamen Agricolae dissuasisse, ne in provinciam iret, sed primo obscuros et alia simulantes, tum vero apertis disertisque verbis profectionem dissuasisse. Universe autem hoc tenendum est, aliam esse artis criticae condicionem in Agricola recensendo, atque in Annalibus Historiisque, quippe quum libris Mstis Vaticanis eique codici, ex quo editiones Puteolani descriptae sunt, non ea sit auctoritas tribuenda, quae libris Mediceis, id quod primo statim aspectu facile tibi persuasum erit, modo incorrupto iudicio varietatem lectionis inspicias atque consideres. Illorum enim librorum naturam et condicionem deteriori familiae Genuensi simillimam esse apparet. Jam vero reputes, quanto a vera atque genuina scriptura abesses, si pro Mediceis libris familiam Genuensem in constituendo Annalium et Historiarum textu sequerere. Itaque quum Agricolam recensentes ope eorum codicum, qui eadem, qua Medicei libri, auctoritate vigeant, injuria temporum destituti simus, eadem via ingredienda est, quam Rhenanus, Lipsius aliique critici inierunt, antequam Mediceorum

editor felicissimam Freinshemii conjecturam in textum admittere dignatus est. Is enim e lectione codd. Ma. B. ed. Spir. *et postquam adnuit, t a c e r e incipiunt* elicuit *i a c e r e*[84] *incipiunt*; quae conjectura solis Ryckio ac Doederlino placuit. Ut nil dicam, quod ex vulgata lectione *agere*, quae in cod. R. et alia quidem manu superscripta in Ma. reperitur, haud facile verbum *tacere* aliqua corruptelae ratione oriri potuit, vis verbi *agere* ab hujus loci sententia aliena est. Neque enim sermo est de causa apud judices acta, neque tunc demum coepta est res a Suillio et Cossutiano et ceteris agi, sed jam dudum in senatu agebatur. Verum verbum *iacere* sententiae aptissimum. Usurpatur enim, id quod Ernestius ad c. 18 docuit coll. interpp. Livii ad XXV, 4, si quis passim vel obiter vel tanquam fortuito vel temere suspicionis movendae, arguendi, exprobrandi, pungendi, irridendi causa alicujus rei mentionem iniecisse dicitur. Exemplis, quae Ernestius e Tacito congessit, adde haec: A. III, 8. *Drusus Pisoni, si vera forent, quae j a c e r e n t u r, praecipuum in dolore suum locum respondit*; c. 66. *Mamercus antiqua exempla i a c i e n s*; A. VI, 4. *si qua discordes iecissent, melius oblitterari respondit*; A. XII, 64. *vocem Claudii, quam temulentus j e c e r a t*; A. XV, 50. init. *ergo dum scelera principis et finem adesse imperio deligendumque, qui fessis rebus succurreret, inter se aut inter amicos i a c i u n t.* Ita h. l. dicitur, non justa oratione neque ordine servato unum aut alterum talia disseruisse, sed turbam deprecantium et Caesarem circumsistentium passim ac promiscue verba pro se fecisse, ut alius aliud memoraverit. Sic Liv. XXV, 4: *haec quum ab optimo quoque pro atrocitate rei i a c t a essent.* Ceterum de scriptura *acta* moneo, *acta* pro *iacta* Ann. XI, 18. in codd. Ma.B.G.Oa. (in marg.) ed.

---

codicum lectiones a vulgata discrepantes in publicum editae erant. Conjecturarum arti igitur primarius locus concedendus est, utque liberiore quadam fruatur licentia. Quam condicionem rei criticae si viri docti reputassent, certo non factum esset, ut textus Agricolae ingenio Rhenani Lipsiique emendatus in recentioribus quibusdam editionibus, Dronkiana prima potissimum Beckerianaque et Herteliana, subinde rursus in deterius mutaretur.

84) Eodem modo verba *iacui* et *tacui* confusa apud Plin. Epp. IX, 36, 5, ubi illud Cortius, Gierigius, Schaefer huic jure praetulerunt.

Spir. et H. I, 47. in cod. R. ed. Spir. legi, eandemque confusionem Liv. XXV, 4. Vell. Pat. II, 80, 3. Quintil. IX, 2, 37. reperiri.

.H I, 57. vocabulum *ingenio*, quod Lipsium, Acidalium, Ernestium offenderat, Otto Obss. critt. in Tac. (Gissae 1843) p. 4. sqq. correxit in *iumento*. Viri doctissimi argumenta, quibus emendationem confirmavit, novis aucta hic repetere lubet, quippe quum ea scriptio, qua ille v. cl. Nebelio diem semisaecularem doctoratus gratulatus est, ut talibus libellis fere accidit, in paucorum notitiam venerit. Pichena quidem, quo illud *ingenio* defendat, senes intelligit, qui, quamvis corpore infirmi, consilio tamen populares suos adjuvare potuerint, sed Otto bene docuit nihil de consiliis dandis h. l., ubi de solo bellico apparatu sermo sit, memorari, id quod etiam ex sequentibus verbis apparet. Nec magis probabilis Waltheri explicatio, verba *ingenio validus* ad artifices in armis aliisque belli instrumentis versatos pertinere. Etiamsi Daedalus ille, quem fabula fabricae non modo peritissimum, sed ipsum inventorem tradit, a poeta (v. Ovid. Met. VIII, 159.) *ingenio fabrae celeberrimus artis* dicitur, tamen non est, quod credas h. l. de fabris armorum agi, qui artem suam supra vulgarem modum ita exercuerint, ut iis ingenii sollertis laus a Tacito tribueretur. Apparet autem singula enuntiati secundarii membra singulis primarii verbis respondere; neque tamen quidquam est, quod verbo *ingenio* apte respondeat. Sin *iumento* corrigis, singula ita inter se respondent, ut *auxilia* constent ex *corpore* i. e. hominibus, *arma* et *pecunia* significentur *opibus*, *equi* denique ad *jumentum* referantur; nam ad jumenta equos, mulos, camelos, cetera animalia dossuaria pertinuisse constat. Cf. Forcellini Lex. L. L. s. v. *iumentum*, quod adiri jubet Otto, qui et monuit, ne in eo offendamus, quod non eodem ordine verba sibi respondeant; id enim ab optimis saepe scriptoribus neglectum esse. Cujus rei causam positam esse et in celeritate, qua in singulis rebus enumerandis utamur, et in numero, qui saepe laedatur, si singula singulis ad verbum opponantur. Addas Tacitum sermonis elegantiam interdum videri quaesivisse in grata negligentia quadam, quae quidem ex Ciceronis oratione omnibus membris aequali et congruenti aestimari non debeat, neque tamen nostrae aetatis oratoribus utique commendanda sit. Eodem fere modo H. II, 77. in verbis *nec mihi maior in tua vigilantia,*

acrimonia, *sapientia fiducia est*, *quam in Vitellii torpore*, *inscitia*, *segnitia* [85]) singula singulis respondent, ordine non servato. Vigilantiae enim torpor, acrimoniae segnitia, sapientiae inscitia opponitur. Sed ut eo redeam, unde haec disputatio est profecta, vocabulum *iumento* compendio scriptum et litera *i* pro *t* posita in archetypo ita exhibebatur: *iuēnio*; unde in *ingenio* facile transire poterat una litera *g* inserta. Quippe librarius ejus codicis deperditi vel occulti, ex quo tanquam ex communi fonte nostri libri Msti et editi fluxerunt, de sententia atque sermonis elegantia securus crassa Minerva saepe id egisse videtur, ut ex vestigiis corrupti in vetusto archetypo alicujus vocabuli qualemcunque vocem latinam formaret, una alterave litera modo addita modo omissa. Cujus vitii exempla vide in nota 81. et supra p. 45 sqq., ubi de septimo vitiorum genere disserui. Alia talia sub septimo decimo corruptelarum genere recensebo.

Tum literas *m*, *ni*, *in*, *iu*, *ui*, tum *n*, *u*, *ii* ut in aliis codicibus [86]), ita in Mediceis saepe inter se permutatas esse, non est quod exemplis probem. Hoc per se intelligitur ex literarum ductibus, quos tum scriptura vetus Romana literarum majuscularum, quae unciales vocantur, tum semiquadrata Romana minuta, tum character Langobardicus praebet. Illud semel monuisse satis habeo.

Quae quum ita sint, A. IV, 33. Pichena et Bezzenberger (l. l. p. 25.) vulgatam lectionem *easdem exitu causas* lenissima mu-

85) Etenim pro vulgatis verbis *parcimonia* et *saevitia* substituendum censeo *acrimonia* et *segnitia*, praeeunte aliqua ex parte summo Lipsio, qui *acrimonia* pro *parcimonia* conjecit. Quippe patet et singulis virtutibus singula vitia contendi atque opponi et sermonem esse de imperatoriis Vespasiani virtutibus, Vitellii vitiis. Jam vero inter illas parcimonia, quidquid Walther, Rupertius, Kiesslingius contra dicunt, inter haec saevitia numerari nequit. Ceterum *parcimonia* una *p* litera addita inde ortum puto, quod *arcimonia* pro *acrimonia* scriptum fuerat, *c* et *r* literis transpositis. Vocabulum *segnitia* alibi quoque cum *saevitia* in codd. Mstis commutatum repperi, ut H. III, 41. et Agric. 16, sive id ex scriptura *secnitia* ortum est, sive propter similitudinem compendiorum *sñitia* et *s̄uitia*. Sed redibo alias ad rem accuratius disserendam, quam h. l. obiter tantum attingere volui.

86) Cf. e. gr. Scioppii de arte critica commentar. sub literis *m*, *n*, *u* et Kritzii edit. Vell. Paterc. Prolegg. p. LXXXIX. XCII. et Muelleri edit. Varron. Praef. p. XXII.

tatione in *easdem exitii causas* feliciter correxisse mihi videntur. Etenim si summam eorum, quae auctor de arta et iniqua operis sui condicione queritur, spectaveris, simulque ea, quae proxime antecedunt, verba *perniciem innocentium* reputaveris, vix probabilis tibi videbitur Freinshemii et Doederlini explicatio, h. l. non de causis exitii clarorum virorum, sed de exitu causarum perditarum sermonem esse, tanquam Tacitus diceret, iudicia et accusationes eundem semper exitum condemnationis nimirum nacta esse. Et exitum accusationum non semper eundem fuisse ipsi Annalium libri docent, ut nihil dicam, quod novum atque inauditum esset, si quis pro *eosdem causarum exitus* vel *ejusdem exitus causas* diceret *easdem exitu causas*. Quare summus Lipsius, quem nuper Bachius secutus est, loci sententiam in hunc modum interpretatus est: „Pares exitus a paribus causis: passim damnati innocentes aut illustres ob suspiciones ac delationes." Tum vero vox *exitu* non potest non haberi pro antiqua dativi forma, cujus exempla apud Tacitum passim reperiuntur. Cf. Bach. ad A. I, 10. Reisig. Gr. Lat. §. 71. not. 90. Quam Bachii opinionem quamvis, sqtius etymologiae ratione habita, tueri liceat hisce locis: A. II, 64. extr. *immittere latronum globos, excindere castella, c a u s a s b e l l o*; H. IV, 19. *donativum, duplex stipendium, augeri equitum numerum, promissa sane a Vitellio, postulabant, non ut assequerentur, sed c a u s a m s e d i t i o n i*; Virg. A. III, 305. *et geminas, c a u s a m l a c r i m i s, sacraverat aras*; tamen et sententia accurate considerata et elegantior dicendi usus obstat, quominus h. l. aut vox *exitus* aut dativi structura toleretur. Etiamsi enim dativum admitteres, expectares saltem *exitiô*, quam vocem et proprietas verborum et solemnis consuetudo Taciti poscit. Cf. Doederl. Synon. II, p. 64. sqq. Tac. A. IV, 28. 52. 58. 60. extr. A. XIII, 1. 17. A. XIV, 7. extr. A. XV, 69. extr. H. II, 45. 49. etc. Sed nec dativum ratio grammatica aut elegantia sermonis patitur: quippe in tribus locis supra allatis verba *causas bello, causam seditioni, causam lacrimis* a p p o s i t i o n i s vice funguntur, (de quo appositionis genere plura videas ap. Walth. ad A. I, 27., ap. Bach. et Rupert. ad H. I, 44. extr., ap. Ramsh. Gr. Lat. §. 96, 4, e p. 287., ap. Roth. Excurs. VIII. ad Agric. p. 136. sq.) hoc autem loco nihil nisi a c c u s a t i v u s o b i e c t i, quem vocant, legitur. Si vero lenissima mu-

tatione, quam vel nullam dixerim ductus Langobardicarum literarum respiciens, *easdem exitii causas* scribitur, et sententiae et grammaticae rationi optime consulitur. Nam exitii hominum nobilium atque illustrium causas easdem i. e. ex invidia aut metu aut avaritia principum fuisse, ex Annalibus Historiisque luce clarius apparet: et solet Tacitus causas exitiorum aperte demonstrare aut certe indicare, id quod A. IV, 52. 58. A. XI, 4. A. XIII, 1. A. XVI, 14. multisque aliis locis factum. Grammatica huius loci ratio, quae quidem genitivum *exitii* efflagitat, eadem est, quae A. IV, 52. *cui sola exitii causa sit, quod* sqq.; c. 58. *unde exitii causa multis fuit*; A. XIV, 35. *si causas belli expenderent*; H. II, 38. extr. *eaedem scelerum causae.* Ceterum facile potuit *exitii* in *exitu* transire, quippe quum proxime antecedentia verba *clari ducam e x i t u s* menti oculisve librarii obversarentur. Cf. quae supra p. 29. sqq. disputavi de quarto vitiorum genere. Accedit quod codex Ma. A. XIII, 1. init. A. XIV, 7. extr., codex C. A. XV, 69. extr., edd. Put. Ber. H. II, 49. *exitum* pro *exitium* falso exhibent, nec alibi libri Msti inter utrumque vocabulum non fluctuant: conf. praeter allata a Doederlino l. l. exempla ex Suet. Domit. 15. et ex Sall. Cat. 55, 6. Cort. ad Sall. l. l. et Arntzen. ad Paneg. p. 534, ad quos relegamur a Trossio ad Tac. Germ. 37. p. 32.

Literae *p* et *r* tum minuto charactere quadrato [87]) tum Langobardico [88]) exaratae quum summam similitudinem praeferrent, interdum factum est, ut quemadmodum in aliis libris Mstis [89]),

87) Vide specimina Flor. codicis Pandectarum in Mabillonii libro de Re Diplom. tab. VII. p. 357, in Brinkmanni Hist. Pandect. p. 155 et in doctorum Benedictinorum opere diplomatico saepius laudato Tom. III. tab. 46. (coll. p. 207) edita. Is enim codex sub fin. saec. VI. minuto charactere Romano antiquissimo scriptus esse fertur; de quo scripturae genere docti Benedictini l. l. T. III. p. 259 extr. haec dicunt: »A proprement parler, ce fameux MS., si l'on en excepte les titres, est en demi-onciale, c'est à dire, en minuscule mêlée d'onciale.«

88) V. apographum bullae Paschalis II. pontif. Rom. apud Mabillon. l. l. p. 447. Item Salmasius de Modo usurarum p. 699. *p* et *r* literas in Langobardico charactere plane affines esse testatur.

89) Eadem confusione nititur et felicissima emendatio Heindorfii, qui Frontonis reliqq. ed. Niebuhr. p. 69 pro lectione codicis *calcar*

ita in cod. Ma. eae inter se confunderentur. Sic A. XIII, 2. codd. familiae Romanae *parum* habent pro *rarum*, quod ex optima Boxhornii emendatione hodie scribitur. A. XVI, 28. in codd. Ma.B.G. edd. Spir. Put. *Ragonium* vel *Ragonum* legitur pro *Paconium*.

Literae *r* et *s*, quum in codd. charactere Langobardico scriptis vix quidquam praebeant discriminis [90], ut in aliis libris Mstis [91], ita in Mediceis facile permutatae sunt. A. IV, 28. M. exhibet *praeparatur* pro *praeparatus*; H. I, 43. extr. Ma. *a quibus protractus Piso in foribus templi trucidatus* pro *trucidatur*. Ita et factum est, ut A. XIV, 22. Furia *celebratur*, Gronovius *celebratus*, Hist. II, 59. Ryckius *trucidatur*, Furia *trucidatus* e Ma. afferrent. Eadem literarum confusione adjuvatur Heldii coniectura de A. XVI, 9. in Obss. in Tac. A. p. 12. proposita. Is enim vulgatam lectionem *a centurione ad caedem misso corripitur, suadentique venas abrumpere animum quidem morti destinatum ait, sed non permittere percussori gloriam ministerii* ita corrigendam censet, ut legatur *audentique* pro *suadentique*. Quo enim jure, in-

---

equo subringo legendum censuit c. e. *subpingo*, et conjectura Buttmanni, qui ibid. p. 102 codicis scripturam *abripere te prae*, *ut dicitur*, *immo cellae filios* in *abripere terrae* sqq. mutari iussit. Ita iis, qui Tac. Agr. 36 emendationem Francisci Medicis *in arto* probant, assentior lectionem codd. Vatt. et edd. vett. *in aperto* ex scriptura archetypi *in apto* ortam ratus. Similiter Dial. de Oratt. 31. in cod. Neap. *apertos* legitur pro *aptos*. Compendium vocis *aperto*, quod *apto* scribitur, vocabulo *apto* simillimum. Saepius autem a librariis pro compendiis scripturae habita sunt, quae nulla fuere: cuius vitii exempla videas infra in tertio decimo vitiorum genere et in Kritzii Prolegg. ad Velleium p. XCIX sq.

90) Cf. praeter specimen bullae Paschalis II apud Mabillon. l. l. p. 447 et literas Langobardicas typis expressas apud Mabillon. l. l. tab. V. extr. p. 353. Scioppii de arte critica comment. sub literis *r* et *s* et Verisimil. II. cap. 18. p. 126. cap. 19. p. 129.

91) Cf. Drakenb. ad Liv. X, 6, 7. Sic Martial. Supposit. I, 3 cod. Leidensis habet *pastitusque meis iustos indico labores* pro optimorum codd. lectione *partitusque meis* etc., quam Schneidewinus jure praetulit vulgatae *partibus atque meis* etc. Schol. Juven. ad II, 155 p. 68 ed. Cramer. cod. Sangall. et edd. vett. habent: *Et cannis*] *In Apulia vicus, nomine Cannae, ubi Hannibal omnem exercitum Romanum occidit victus* pro *occidit victor*.

quit, putemus Silanum centurioni, quum suasisset, ut venas abrumperet, respondisse, paratum quidem se ad mortem subeundam, nec tamem passurum, percussorem vim aliquam sibi inferre et hoc modo ministri partes suscipere? Egregie autem illa conjectura verbis sequentibus firmatur. Puto geminata litera *r* proxima in archetypo Langobardico charactere scriptum fuisse *corripitur raudentique*, unde propter summam literarum *r* et *s* similitudinem, literis *a* et *u* transpositis, de quo librariorum vitio infra dicam, a sciolo quodam lectore vel librario verbum *suadentique* facile effici potuit.

Literae *r* et *t*, quum scriptura Langobardica nihil fere in eas discriminis fecisse videatur [92]), quo factum est, ut A. III, 63. pro vulgato *Zmyrnaeos*, J. Gronovius *Zmyrneris*, Furia *Zmyrnetis* in M. legeret, et A. XVI, 29. init. pro lectione ex Pichenae emendatione vulgata *ut erat* hic ipse *uteret*, Victorius *ureret* e Ma. proderet, tum in aliis libris Mstis [93]), tum in Ma. interdum inter se commutatae sunt. Ita A. XII, 12. Ma. exhibet *peritus* pro vulg. *petitus.* A. XV, 42. lectio codd. Ma.A. ed. Spir. *temperare* ab uno Bachio [94]) in contextum male recepta ex archetypi scriptura *temprare* pro *temptare* s. *tentare* orta est. Itaque H. I, 48. emendatione Puteolani *temptasset* s. *tentasset*, quam Oa. in marg. habet et sequentes editiones usque ad Berneggerum et nuper rursum Bip. et Oberl. retinuerunt, haud dubie genuinam scripturam Tacito redditam esse cum Kiesslingio [95]) puto, qui illam bene defendit, coll. Bentl. ad Ter. Phorm. III, 3, 19. de forma *temptare*, de qua nunc vid. Schneider. Gr. Lat. I, 2. p. 469. sqq. Ceterum verbum temptandi proprie dici de iis, qui vigilias ac stationes circumeunt,

92) Vide Sciopp. de arte critica comm. sub vv. *r pro t* et *t pro r*.

93) Tac. Agr. 26 extr. MS. Vat. 4498 exhibet *rexissent* pro *texissent*, sicut Cic. Orat. 68,228 libri scripti et editi inter *recte*, *tecte* et *tecti* fluctuant. Varr. de L. L. p. 121. Bip. VIII, 71 p. 191. Muell. codices *Varinius* habent pro *Vatinius.* Vell. Pat. II, 25, 4 cod. Murbac. teste Burerio praebuit: *et inscriptio adfixa posti. hodieque crabula testatur*, unde ed. Basil. feliciter eruit: *et i. a. p. hodieque et tabula testatur.* Martial. II, 30, 3 cod. Thuaneus habet *verusque sodalis* pro *vetusque sodalis*.

94) Bachium bene refutavit Petersenius Annott. in Tac. Spec. II. p. 11.

95) Etiam Jacobus Obss. ad Tac. H. critt. Part. II. p. 13 extr. emendationem Puteolani probat.

docet locus Sall. Hist. II: *Noctu diuque stationes et vigilias tentare.* Lectionem codd. et ed. Spir. *temperasset* (solus A. habet *inspectasset* ex conjectura) reposuere Walther et Bachius. Bernegger e Freinshemii conjectura scripsit *temerasset*, quod per omnes fere deinceps editiones vulgatum est. Verba *temperare* et *temptare* s. *tentare* saepius a librariis permutari annotavit Forcell. in Lex. s. v. *tentare* [96]). Denique eaedem literae permutatae videntur A. XII, 11., ubi pro vulgata e codd. B.R.V. ed. Spir. lectione *clementiamque ac iustitiam quanto ignara barbaris, tanto toleratiora capesseret* in Ma. (t. Pich.) *ignata* legitur, quod etiam in archetypo scriptum fuisse inde colligo, quod libri Msti summam lectionis varietatem praeferunt, quae quidem nonnisi ex scriptura *ignata* oriri potuisse mihi videtur. Exhibent enim C.F. *ignota*, id quod Doederlinus probavit, O. *ignorantia*, H. edd. Put. *ignoratiora*, G. *ignorantiora*. Librarii quippe codd. G.H.O. vocem *ignata* pro compendio scribendi habebant. Quamquam haud scio, an *ignata* ex *ignorata* originem duxerit, sicut Ma. et ed. Spir. A. XIII, 30. *accusatibus* pro vulg. *accusatoribus* praebent, sive illud ex compendio syllabae *or* neglecto, sive ex omissione eius syllabae natum sit. Certe H. III, 74. R.V. ed. Spir. *ignarusque* exhibent pro vulgata ex Ma.B.A.C.G.H.O.Oa. lectione *ignoratusque*.

Literae *r* et *v* propter quandam similitudinem ductuum, qua et factum est, ut A. XII, 22. Victorius *ivet*, Furia *irex* in Ma. pro vulg. *ira* legeret, cum in aliis Mstis [97]) tum in Mediceis libris interdum confusae sunt. Sic. A. XIII, 58. extr. Pichena bene elicuit vulgatum *reviresceret* ex scriptura Ma. *revivesceret*, quae iam in archetypo extitisse videtur, quum librarii codicum H.O.Oa. et ed. Spir. *reviviscerent* scripserint, quod G. rursum in *reviriscerent* mutavit. Imprimis autem *ignarus* et *ignavus* a librariis codicum Taciti commutantur [98]), sicut A. I, 5. M. *g. navum* pro vulg. *gnarum*.

96) Petersen. l. l. adiri jubet etiam Heinsium ad Vell. Pat. II, 60.

97) V. Drakenb. ad Sil. X, 86. Martial. XII, 24, 6 in multis codd. pro vulg. *rector* male legitur *vector*. Eodem referas frequentem verborum *inritare* et *invitare* confusionem, de qua v. Drakenb. ad Liv. I, 15, 1 et Kritz. ad Vell. Pat. II, 66, 3.

98) Item Sall. Cat. 51, 27 pars Mstorum libb. vulgatum *ignaros* praebent, alii *ignavos*.

exhibet. A. VI, 44. Beroaldus idem, quod edidit, *ignarus* in M. legisse videtur, quum Pichena *ignavus* inde proderet atque rescriberet. H. I, 80. *ignavi* legitur in G.H.O.Oa. (a pr. m.) edd. Put. sqq. ad Rhenanum, qui ex B.Oa. (a sec. m.) ed. Spir. *ignari* restituit. Contra A. XI, 18. 'omnes editores praeter Broterium, Jac. Gronovium, Bachium male retinuisse mihi videntur conjecturam Puteolani: *legiones operum et laboris* *ignaras*, *populationibus laetantes veterem ad morem reduxit*, quum *ignavas* legatur in omnibus codd. Mstis praeter Vat. 1958, in quo tamen voci *ignaras* superscriptum *ignavas*. Quae librorum auctoritas eo argumento insuper corroboratur, quod, quum paulo ante legatur: *non* *ignarus* *dites et imbelles esse*, parum verisimile est, librarios lectionem *ignaras*, si ea genuina fuisset, in difficiliorem ac magis reconditam *ignavas* mutaturos fuisse; immo, si in libris Mstis *ignaras* reperiretur, ob solitum librariis vitium, de quo sub quarto corruptelarum genere supra p. 29 sqq. diximus, facile tibi in suspicionem veniret, illud ipsum ex proxime praecedente vocabulo *ignarus* originem traxisse. Sed sunt interna quoque argumenta, quibus codicum scriptura probetur. Ut enim taceam, quod et sententiae et communis sermonis consuetudinis ratione habita haec lectio difficilior atque exquisitior quam vulgata est, ipsa elegantia et concinnitas orationis suadet, ut in hac priore membri parte tale vocabulum scribatur, quod sequentibus verbis *populationibus* *laetantes* per oppositionem respondeat. Jam vero pulcherrimum antitheton inest orationi, quum eaedem illae legiones operum et laboris ignavae, populationibus laetantes dicuntur. Neque crediderim milites Romanos operum et laborum ignaros magis fuisse, quam segnes atque ignavos. Reducebantur igitur a Corbulone ad veterem morem non tam ignari militiae, quam ignavi. Itaque otio exuendo identidem consulebant, qui legionibus praeerant, ne miles segnis fieret. Cf. A. XI, 20; XIII, 53. Denique tantum abest, ut ea, quae in vocubulo ignaviae inest, vis ab h. l. aliena sit, ut sententiae et sermonis legibus optime conveniat. Abest enim ab ignavia, si originem ac proprietatem vocabuli respicis, notio timidi atque imbecilli animi, quae Germanicae voci *Feigheit* immixta est, quamquam saepissime fit, ut eadem sententia latina voce *ignavia* efferatur, quae germanica *Feigheit*, sicuti apud Liv. V, 28. *ignavissimus et fugacissimus hostis* dicitur

atque ignavia saepius cum timiditate jungitur. Cf. Cic. Tusc. II, 23, 54. *ignavus miles ac timidus*; ibid. III, 7, 14. *timiditas et ignavia*. Proprie vero ignavia dicitur turpis otii amor laborisque fuga. Cf. Ovid. ex Ponto I, 5, 5: *Cernis, ut ignavum corrumpant otia corpus*; Virg. Georg. III, 465: *carpentem ignavius herbas*; Tac. A. II, 71. *ignavo questu*. Eodem sensu Claudius Caesar ignaviae arguitur Tac. A. XI, 19. extr. et A. XIII, 6. Et significat ignavia idem fere, quod inertia; quare ea verba saepius conjuncta reperiuntur, ut Tac. H. V, 4. *dein blandiente inertia septimum quoque* (an legas *quemque*?) *annum ignaviae datum*; Cic. Verr. II, 78. *homo inertior, ignavior*. Opponitur autem ignavus navo, strenuo, industrio, ut A. XII, 12. init. *industrios aut ignavos pax in aequo tenet*; H. I, 62. *cum tamen ardor militum .... strenuis vel ignavis spem metumque adderet*; H. II, 14. *qui sparsi inter milites strenui ignavique in victoria eadem audebant*; Sall. Cat. 58. init. *neque ex ignavo strenuum, neque fortem ex timido exercitum oratione imperatoris fieri*. Itaque h. l. legiones commode dicuntur operum et laboris ignavae, populationibus laetantes, ut A. XIV, 33. Britanni barbari *laeti praedae, laborum* [99]) *segnes* vocantur. Similiter Liv. IX, 4: *quando nec fossa valloque ab ignavissimo ad opera ac muniendum hoste clausi essent*; Auct. B. Afr. 81: *castra non ignaviter munire*. Ceterum cf. Reisig. Gr. Lat. §. 351. p. 637. ibique Haasii not. 525. de genitivo *operum et laboris*, qui more Graeco cum adjectivo *ignavus* iungitur, ut significetur, quo respectu legiones ignavae dicantur. Simillima huius generis exempla, quae maximam partem depromsi ex Ruddim. Instt. Gramm. II. p. 73 — 78, haec sunt: A. I, 20. *intentus operis et laboris*, ut legendum est ex egregia Heinsii emendatione pro scriptura codicis *intus o. e. l.*, A. III, 48. *impiger militiae*, H. I, 87. *urbanae militiae impiger*, Sil. Ital. XIV, 264. *piger pericli*, ibid. XV, 504. *pigerrimus undae*, Tac. A. XIV, 33. *laborum* (vel ex vulg. *alio-*

99) Ita enim rescribendum censeo pro vulgata *laeti praeda et aliorum segnes*, praeeunte aliqua ex parte Lipsio, qui, indice Doederlino, speciose conjecit: *laeti praeda et laborum segnes*. Sed alias redibo ad hanc emendationem argumentis confirmandam.

rum) *segnes*, A. XVI, 14. *occasionum haud segnis*, Claudian. XVIII, 275. *segnis operum*, Tac. H. III, 42. *strenuus militiae*, ibid. II, 5. *acer militiae*, Vell. I, 3, 1. *acer belli*, Sall. fragg. Hist. II. p. 959. Cort. *belli promptissimus*, Gell. N. A. X, 22. *veritatis exhibendae promptissimus*, Tac. H. II, 23. *promptus animi*, Ann. XII, 66. *oblatae occasionis propera.*

Denique literae *s et x* ut in titulis et codicibus [100]), ita in Ma. quoque interdum commutatae sunt. Sic A. XI, 16. Ma. exhibet *venisse posse testimesci*, quod ortum putes ex archetypi scriptura *venisse posset estimesci* pro vulg. *venisset: posse extimesci*. A. XIV, 12. in Ma. legitur *iusta* pro *iuxta*, ut H. IV, 22. in G. A. XIV, 13. Ma. habet *ansius* pro *anxius* aut *anxio*. C. 48. extr. lectio Ma. G. ed. Spir. *transisset* originem duxit ex archetypi scriptura *trasisset* pro vulg. *traxisset*. A. XV, 22. Ma. habet *sansere* pro *sanxere*. H. I, 79. pr. Ma. *rhosolanis sarma-*

100) Cf. praeter Schneider. Gr. Lat. I, 2 p. 353 sq. et vv. dd. ab eo laudatos Drakenb. ad Sil. VI, 278; Gesner. ad Plin. Paneg. 31, 1; Ernest. ad Tac. Ann. XIII, 5 et 20; Osann. ad Apul. de Orthogr. frgm. p. 51. Sic Hor. A. P. v. 186 codex Vlamingianus *haesta* pro *exta*; Vell. II, 33, 4 ed. pr. et apogr. Amerb. *Xersen* pro *Xerxen*; Martial. XIII, 76, 1 cod. B. *perdis* pro *perdix* exhibet. Recte igitur locum Naevii, qui apud Nonium p. 80, b ed. Gerlach. et Roth. hunc in modum legitur: *isque susum ad caelum sustulit suas r e s Ammullus*, G. Hermannus Elem. doctr. metr. p. 631, praeeuntibus aliqua ex parte Merula et Stephano, ita emendavit: *manusque sursum ad caelum sustulit suas r e x Amulius*, nisi quod scripturam *susum* retinendam censeo, coll. Mueller. ad Varr. de L. L. V, 161 p. 63. Eadem illa confusione etiam Pers. Sat. VI, 6 ex genuina scriptura *mox iuvenes agitare iocos et pollice honesto e g r e g i u s lusisse s e n e x*, quam optimus cod. Lugd. servavit, quamque C. Fr. Hermannus in Disput. de scholiorum usu et auctoritate in Pers. Sat. emend. p. 7 restituendam censet, orta esse videtur vulgata ceterorum librorum lectio *e g r e g i o s lusisse s e n e s*, quae commodo certe sensu caret. Contrario mendo ap. Pers. Sat. I, 58 pervetusti codd. Lugdun. Putean. aliique a C. Fr. Hermanno in Disput. altera p. 15. allati pro vulgato *pinsit* exhibent *pinxit*, quamquam scholion ejusdem illius Lugdun. libri manifesto ad pinsendi verbum pertinet. Tac. Hist. I, 69 codd. A. B. habent *mox* pro *mos*, Mart. I, 20, 4 cod. Voss. R. *edax* pro *edas*.

tica gens, G. *Rhosolani Sarmatica g.*, ed. Spir. *Rosolani S. g.* exhibet pro *Rhoxolani S. g.* H. IV, 71. in Ma. legitur *ausit* pro *auxit*, ut H. V, 9. in B. H. V, 8. scriptura codicis Ma. *per saxas*
sa as
pro *Persas* originem habet a lectione archetypi *perxas* vel *persax.* Hac igitur confusione adjuvatur emendatio Rhenani Lipsio, Ernestio, Kiesslingio ad A. XIII, 20. probata, qui lectionem codd. et edd. vett. *luxus* in *lusus* mutarunt. Eadem confusio reperitur ap. Liv. I, 5; ubi vid. Gronov. et Drakenb. Pluralis *lusus* legitur etiam Martial. I, 3, 10. *neve notet lusus tristis harundo tuos*; ubi lusus opponuntur tristitiae, ut ap. Tac. l. l. maestitiae. Cf. etiam Ovid. ex Ponto I, 4, 4. *nec, iuveni lusus qui placuere, placent.* Mart. I, 14, 1. *lususque iocosque.* V. Plin. Epp. IV, 14, 1. VII, 9, 10. Quintil. V, 13.

Similis est confusio literarum *ss* et *x*, quae in inscriptionibus et libris Mstis [101]) non ita raro reperitur, quaeque cum Italici oris indole et consuetudine connexa esse videtur, si quidem Itali *Alessandro* et similia dicunt. Itaque Haasius in Zimmermanni Diurnis antiquariis a. 1836. no. 84. p. 678. verissime docuit Tac. A. XVI, 25. pr. vulgatum *dixerunt* in *disserunt* corrigendum esse, sicut A. XIII, 6. solus cod. Ma. vulgatam inde a Pichena lectionem *disserunt* contra pravam scripturam codd. B.G. edd. vett. *dixerunt* tuetur, et A. XIV, 13. codd. H. (in marg.) R. ed. Spir. *dixerunt* pro vulgata codd. G.H. et edd. Put. lectione *disserunt* male habent.

De tertio decimo vitiorum genere.

Jam pervenimus ad vitia ex compendiorum scribendi usu orta, quem recte dixerunt uberrimum corruptelarum fontem docti Bene-

101) Cf. Schneideri Gramm. Lat. I, 2 p. 354 sq. et vv. dd. commentarios, ad quos ibi relegamur. Ita in Martial. cod. Berol. b. *x* pro *ss* teste Schneidewino Prolegg. p. LXVI. scribitur, e. gr. VI, 42, 5 *Sinuexa* pro *Sinuessa.* In Taciti cod. B. *fexa* pro *fessa* exaratum est, ut solet fieri teste Walthero ad Ann. XV, 38. Denique ap. Geograph. Ravenn. et in titulis *Maxilia* pro *Massilia* reperitur. E contrario lapis ab Osanno ad Apul. de Orthogr. frgm. p. 51 memoratus affert formam *vissis* pro *vixisti.*

dictini in opere diplomatico saepius memorato T. III. p. 538, Bernhardyus in Encyclopaed. Philol. p. 127, Kritzius in Prolegg. ad Vell. p. XCVI. Notae enim literarum et compendia syllabarum ac vocabulorum, quibus archetypum exaratum fuit, in codd. Mediceis tum inter se permutata, tum perverse intellecta, tum neglecta atque omissa sunt, quippe quum librarii in compendiis legendis atque interpretandis aut oscitanter festinanterque agerent, ut verba compendiose exarata pro plene scriptis haberent, aut inscitia ac socordia a vero aberrarent [102]. Quin etiam e contrario factum est interdum, ut librarii, quum prava suspicione et corrupto iudicio seducti ex integris vocabulis compendia scripturae obscurata elicuisse sibi viderentur, aliquot literis vel singulis syllabis ultro illatis orationem Taciti mire corrumperent foedarentque [103].

Et primum quidem, ut a levioribus ad graviora procedamus, litera *m* transversa lineola recta aut curva [104] iam in antiquissimis codicibus [105] significabatur; quae nota librariorum oscitantia ut aliis in libris, ita in Mediceis saepe neglecta et omissa est [106]. Sic

102) Exempla corruptelarum huiusmodi congessit ex Varronis libris de L. L. Od. Mueller Prolegg. p. XXII–XXVIII, ex Velleio Kritzius Prolegg. p. XCVII. sqq. Graeca vide in Bernhard. Encycl. Philol. p. 155 sq. et in Sauppii Epist. crit. ad G. Hermannum §. 8.

103) Talia exempla collegit ex Velleio Kritzius Prolegg. p. XCIX sq.

104) Curva lineola vario modo pingitur in Mstis: sic in Ma. Ann. XII, 1 pr. reperitur *uxorē* et *ciugu3* (i. e. *coniugum*) teste Mabillonio de Re Dipl. p. 353. tab. V. no. 5. In ejusdem codicis specimine a doctis Benedictinis l. l. T. III. tab. 49 et p. 279 edito, quo subscriptio Sallustii fini lib. VIIII. Metamorph. Appul. subiuncta et initium lib. X. continetur, legitur *qde*ˢ (i. e. *quidem*) et *eximia*ˢ.

105) Cf. doctos Benedictinos l. l. p. 541 et 544.

106) Exempla literae *m* in libris vett. Velleii omissae collegit Kritz. Prolegg. p. XCII. Cic. Lael. 26, 99 lectio primi Palatini codicis *versaris atque unxeris*, ex qua Bentleius ad Hor. A. P. 96 felicissime elicuit *v. atque emunxeris*, originem cepit ex archetypi scriptura *v. atqueēunxeris*, alterutra *e* omissa. Item antiquissimus cod. Thuaneus Martial. IV, 74, 3 exhibet *in morte* pro *in mortem*; Mart. VI, 32, 3 eiusdem codicis lectio *sanguine artem* orta est ex archetypi scriptura *sanguinē artem* pro genuina *sanguine Martem*. Ita et factum est, ut Vell. II, 36, 2 Burerius, quippe cuius oculos vestigia lineolae literae *e* impositae fugissent, in cod. Murbacensi

A. II, 9. *permissu* pro *permissum*, A. III, 54. *gloria* pro *gloriam*, A. IV, 35. extr. *socordia* pro *socordiam* in M. legitur. A. XI, 13. Ma. exhibet *in mortè parentum*, pro *in mortem p.*, c. 16. *in re publica* pro *in rem publicam*, c. 26. *senecta principis* pro *senectam p.*, c. 27. *discubitu* pro *discubitum*, A. XII, 1. *Lollia* pro *Lolliam*, c. 10. *intoleranda* pro *intolerandam*. A. XIII, 31. lectio codicum *qui in provincia obtinerent* orta est ex archetypi scriptura *qui provincia obtinerent* pro vulg. *qui provinciam obtinerent*; c. 35. Ma. habet *duritia celi* pro *duritiam caeli*, c. 55. *in quam pecoru* pro *in quam pecora*; A. XIV, 8. extr. *morte* pro *in mortem*, c. 13. *festo cultu senatu* pro *festo cultu senatum*. C. 32. lectio codd. et edd. vett. *feminae in furore turbatae*, quam Walther et Bachius, utpote membranis addicti, revocarunt, ex vulgata *feminae in furorem turbatae* corrupta est. Cf. de h. l. Ritterum, et de usu ac vi praepositionis *in* v. Reisigii Gramm. Lat. §. 408. p. 724. C. 48. extr. in Ma. legitur *miserior et*, quod ortum esse videtur ex *miseriorē et*; c. 49. *exeptis* pro *exemptis*; c. 58. pr. *tempusque interiectum moverat fama* pro *t. i. m. famam*, ibidemque paulo inferius *Asya* pro *Asiam*. A. XV, 5. scriptura codd. Ma. C. et ed. Spir. *aberat* inde originem traxisse videtur, quod in archetypo syllaba *de* omissa *āberat* pro *ābederat* scriptum fuerat. C. 10. Ma. exhibet *fama ducti exercitus speraverat* pro *famam* sqq., c. 44. *in usu nocturni luminis* pro *in usum n. l.*; c. 53. *aut inane aut spem* pro *aut inanem at* (i. e. *ad*) *spem*. C. 64. lectio Ma. et ed. Spir. *famam societatem cum marito mortis petivisse*, quam Doederlino placuisse miror, corrupta est ex scriptura *famā sociate cum m. m. p.*, quae rursus ex genuinis hisce verbis *famam sociatae c. m. m. p.* orta fuit. H. I, 29. lectio Ma. *incertumque senatorem* ex archetypi scriptura *incertum quē* (i. e. *quem*) *senatorem* nata est, sicut c. 84. pr. verba *eligendi facultas detur, quae nobis animum* corrupta sunt ex *e. f. d., quē* (i. e. *quem*) *nobis animum*. C. 33. Ma. exhibet *obsidione*

---

direptos pro vulgata lectione ed. pr. et apogr. Amerb. *diremptos* legeret. Tac. Hist. I, 69 A. B. C. R. exhibent *mutabile* pro *mutabilem*. Cf. etiam Goeschen. Ind. siglarum in ed. Gaii sec. p. 418. 432. 444. 460. 498. sq. 506. 509.

pro *obsidionem*; H. II, 20. *fama in cetera fore* pro *famam* sqq.; c. 68. pr. *severitate* pro *severitatem*; c. 100. *ita accelerare legiones eremona .... iussae* pro *ita a. l. Cremonam .... iussae*; H. III, 47. *contempti* pro *contemptim*; c. 66. *in audacia* pro *in audaciam*; c. 75. et 81. *direpta* pro *dirempta*; H. IV, 18. extr. *invidia* pro *invidiam*; c. 46. *separati* pro *separatim*.

Recte igitur Walther et Rupertius A. IV, 62. pro lectione cod. Msti *in sordida mercede* nil dubitaverunt recipere Pichenae emendationem Ernestio, Broterio, Wopkensio, Doederlino probatam *in sordidam mercedem*: et Ritterum, qui eam frustra impugnavit, optime refellit Doederlinus. Exemplis a Walthero allatis adde haec: Agr. 19. *in quaestum reperta*; c. 42. *in nullum rei publicae usum*; de conciso eo genere dicendi, quo praepositio *in* vim habet enunciationis finalis, cfr. Walch. ad. Tac. Agr. p. 166.; Hand. Turs. III. p. 316; Reisig. Gramm. Lat. §. 408. p. 725. Nec minus bene A. XVI, 19. extr. Neuius et Doederlinus *novitatem* pro vulg. *novitate* rescribi volunt; quo de loco cf. quae supra p. 25. de secundo vitiorum genere dixi. H. V, 4. lectio Ms. *merito* ex archetypi scriptura *mēoria* i. e. *memoria* ita originem duxit, ut librarius, quippe qui propter summam similitudinem Langobardicarum literarum *a* et *t*, de qua supra p. 86. sq. plura dixi, illud vocabulum pro *meorit* acciperet, lenissima mutatione emendaturus, literis *o* et *t* transpositis, *merito* scriberet [107]).

Item litera *n* in libris Mstis recta aut curva lineola transversa significatur, quod compendium cum in aliis codd. [108]), tum in

107) Quodsi ea reputaveris, non vereor, ne vocabulum *merito* cum Jacobo Ohss. ad Tac. Hist. crit. P. II. p. 28 admodum libenter recipias.

108) Cf. Goeschen. Ind. siglarum in ed. Gaii sec. p. 418. 432. sq. 444. 460. 499. 506. Ita Vell. II, 24, 5 apogr. Amerb. exhibet *posset* pro *possent*, ibidemque c. 32, 3 *transtulerat* pro *transtulerant*; dein ed. pr. cum eodem apogr. II, 118, 4 *praestruxerat* praebet pro *praestrixerāt* et c. 120, 5 *minabatur* pro *minabantur*. Mart. II, 1, 3 cod. Thuan. *sit* pro *sint* habet, et Epigr. 82, 2 Beverlandus, quem Schneidewinus sequitur, ex scriptura cod. Thuan. *nesci* feliciter coniecit *nescin* pro vulgato *nescis* legendum esse. Quin et factum est, ut praepositio *in* compendiose scripta, postquam lineola transversa omissa erat, interdum excideret, sicut

Mediceis interdum neglectum est. Sic A. II, 22. extr. M. habet *agrivarios* pro *Angrivarios* A. XI, 6. Ma. exhibet *legemque Ciciam* pro *l. Cinciam*, ut A. XV, 25. *Cicio* vel *Citio* pro *Cincio*. A. XI, 37. Ma. praebet *aderat* pro *aderant*. A. XII, 20. lectio codicum *in hoc tentata* orta est ex archetypi scriptura *in hostetata* i. e. *in hostem tanta*. C. 24. in Ma. legitur *per ima montis palatii* pro *p. i. m. Palatini*; A. XIII, 37. pr. *duceretur* pro *ducerentur*; A. XV, 57. pr. *apichari* pro *Epicharin*. H. I, 6. Ma. habet *ciconio* pro *Cingonio*; A. II, 3. *intulerat* pro *intulerant*. A. IV, 24. *exsolveret* pro *exsolverent*; c. 55. *obstrinere* pro *obstrinxere*; c. 63. pr. *coloniam Agrippiensem* pro *c. Agrippinensem*. H. V, 5. lectio codd. *sunt* orta est ex archetypi scriptura *sinut* pro *sinunt*.

Litera *s* in libris Matis (v. c. in Cassellano codice Servii) interdum notatur, ut ita dixerim, anguinea lineola, id quod patet ex specimine codicis Medicei Taciti et Appuleii a Benedictinis l. l. edito, ubi *c trousias* i. e. *controversias* legitur. Quo factum est, ut ea litera cum in aliis codicibus [109]), tum in utroque Mediceo nonnunquam omitteretur, sicuti in M. reperitur A. II, 4. *in suo* pro *in suos*; c. 28. *sermone* pro *sermones*; c. 82. extr. *falsi* pro *falsis*. In Ma. scriptum est A. XI, 3. *percusi* pro *percursis*; A. XII, 38. *relicta* pro *relictas*; A. XIV, 44. *in agris aut domibus idem* pro *i. a. a. d. isdem*; c. 46. pr. *idem consulibus* pro *isdem c.*; A. XV, 5. *exorta vi locustarum* pro *exorta vis locu-*

' Vell. II, 51, 3 in ed. pr. et apogr. Amerb. *non* reperitur pro *non in*. Idem Mediceis Taciti librariis accidit, cujus rei exempla supra p. 60 sq. invenies, ubi de omissis singulis syllabis disserui: adde ex A. XIV, 8 extr. *morte* pro *in mortem*. Occasione data profiteor, me id admirari satis non posse, quod etiam novissimus editor Agricolae egregiam Acidalii emendationem Buchnero, Broterio, Ernestio probatam, qua c. 44 vulgatum *durare in hac beatissimi saeculi luce* in *durare in hanc b. s. lucem* corrigitur, priores editiones secutus spreverit. Accusativum poscit sententia et verbum durandi, coll. Dial. de Oratt. 17.

109) Sic cod. Thuaneus exhibet Mart. II, 89, 2 *ignoco* pro *ignosco*, VII, 54, 5 *mola* pro *molas*. Exempla ex Velleio collegit Kritz. Prolegg. p. XCIII. atque ad II, 28, 2. Cfr. etiam Goeschen. Ind. siglarum p. 433. 499. ed. Gaii sec.

starum; c. 56. extr. *praecipue* pro *praecipuos*; A. XVI, 11. *seniore* pro *seniores*; H. I, 19. *crebrioribus in dib nuntiis* pro *c. i. dies n.*; c. 20. *illi* pro *illis*; c. 66. *vetusta dignitasque coloniae* pro *vetustas d. c.*; H. II, 21. *in obsesso* pro *in obsessos*; c. 80. *ubi illi consultare mos est* pro *ubi illis c. m. e.* [110]; H. V, 20. *divisi copiis* pro *divisis copiis*. Itaque felicissima Meursii conjectura ad A. XV, 44. *flamma usti atque* pro vulg. *flammandi atque* a ratione palaeographica magnopere commendatur, quum etiam litera *u* cum *n*, *t* cum *d*, *u* cum *a* sexcenties in libris Mstis confundatur; v. p. 122. 106 sq. 87. sqq. Accedit quod et grammatica ratio part. perf. pass., non part. fut. pass. efflagitat, et Sulpicius Severus, qui ut c. 37., ita h. l. Tacitum exscripsisse videtur, lectionem *flamma usti* praebet. Mirere igitur, quod nulli editori adhuc placuit illa emendatio, qua omnia sanantur et orationi sua concinnitas redditur.

Jam vero similitudine compendiorum saepe factum est, ut terminationes vocabulorum in *m* aut *s* literam cadentium cum in aliis Mstis [111]) tum in Ma. confunderentur. Sic A. XI, 19. in Ma. reperitur *idem senatus*, *magistratus*, *leges imposuit* pro *idem senatum*, *magistratus*, *l. i.*; de quo loco cf. quae supra p. 16. dixi.

---

110) Vix crediderim Jacobum assensum virorum doctorum in eo nacturum esse, quod l. l. p. 10, quo lectionem *illi* tueretur, antiquum adverbium locale Tacito intrudere conatus est non intelligens, quanto elegantioris sermonis damno duo adverbia localia apud Tac. statuerit, quorum alterum ad Antiochiam (id enim vocabulum ex *Antiochensium* sumendum esset), alterum ad theatrum pertineret. Contra dativus *illis* optime convenit locutioni *mos est* ex communi linguae Latinae usu, coll. Ann. I, 39. IV. 64. Hist. I, 69 extr. IV, 22. 83. V, 17.

111) Sic Varr. de L. L. VIII, 75 p. 192 ed. Muell. p. 122 ed. Bip. codd. exhibent *albus*, *albius*, *albissimum* pro vulgato *album a. a.*; et §. 76 p. 193 ed. Muell. in F. *melus* pro *melum* est. Vell. II, 49, 5 ed. pr. et apogr. Amerb. exhibent *contentus* . . . *privatusque* pro *contentum* . . . *privatumque*, quae est egregia Kritzii emendatio; c. 118, 2 apogr. Amerb. habet *securitates* pro *securitatem*. Plura eiusdem permutationis exempla dabit Kritzius Prolegg. ad Vell. p. XCIV sq. Martial. III, 8, 2 codex R. a pr. m. praebet *oculus* pro *oculum*. Ibid. IX, 35, 3 in cod. Thuaneo *paucorum*, in Gudiano *pacorum* legitur pro *Pacorus*.

A. XIII, 43. Ms. exhibet *in insulam Baleares pellitur* pro *in insulas B. p.*; c. 47. *pons Mulvium* pro *pons Mulvius*; A. XIV, 15. *scenas incedit* pro *scenam i.*; c. 29. *provinciae* pro *provinciam*; H. III, 5 extr. *missum* pro *missus*.

Interdum autem corruptelae in Ms. inde ortae sunt, quod, quum in archetypo nota literae *m* aut *n* alienae literae imposita esset, librarius compendium perverse interpretabatur ideoque male solvebat. Quo factum est, ut H. I, 84. in omnibus codd. et edd. vett. usque ad Lipsium *inanis* i. e. *inaia* pro *inanima* i. e. *inaia*[112]) scriberetur, sicut vicissim A. XIII, 8. cod. Ms. et ed. Spir. *inanimum* pro *inanium* exhibent. H. III, 86. lectio cod. Ms. *intererat Vitellium vicinis sed* originem traxit ex archetypi scriptura *i. V. vicis* (i. e. *vicins*) *sed* pro vulg. *i. V. vici* (i. e. *vinci*) *sed*. Adhaeserat autem *s* litera vocabuli *vicis* ultima ex prima sequentis particulae *sed* vulgari vitio, de quo vid. p. 37. sqq. H. IV, 47. extr. in Mstis et edd. vett., praeter cod. A., qui solus veram scripturam eamque, ut videtur, ex coniectura praebet, legitur: *magna documenta instabilis fortunae summaque etiam miscentis* pro vulgatis ex emendatione Fuerni, Ursini, Lipsii verbis: *m. d. i. f. summaque et ima miscentis*. Confusio enim orta ex compendiorum *etiā* et *et iā* similitudine [113]).

Syllaba *en* sigla – vel ~ cum in aliis codd., tum in Ms.

112) Scribitur enim compendiose *animus* in Mstis *aius* (cf. Drakenb. ad Liv. XXXII, 5, 2), *animo aio* (cf. Walther. Praef. ed. Tac. Vol. I. p. XX.); *animis ais* (cf. Drakenb. ad Liv. I, 45, 3).

113) Jacobus l. l. p. 25 non solum praeter necessitatem, sed etiam iniuriose hunc locum a viris doctis correctum esse ait. Videtur enim, si verba eius obscura et obiter iacta recte intellexerim, sententiam Taciti ad solum Sabini funus censorium referre. Quod etiamsi concederes, quamquam id plurali *magna documenta* vetatur, tamen ita grammaticam rationem et usum loquendi non constare liquet, quippe ea desunt, quibus summa a fortuna misceantur. Tacitus vero dicit potentium res esse incertas. Consulatus a Vitellio datos mox rursus abrogatos esse, et Sabinum eiusdem Vitellii adversarium, florentibus eius rebus trucidatum, iam splendidissimi funeris honore ornatum esse. Ceterum summa et ima frequenter tali modo inter se opponuntur; cfr. illud Horatii (v. Od. I, 34, 12 sqq.): *Valet ima summis mutare, et insignem attenuat Deus obscura promens*. Vell. II, 2, 3: *summa imis miscuit*.

notatur, sicut A. XI, 28. voc. *mentis* teste Victorio scribitur *m̄tis*, A. XII, 16. *vim̄tis* t. Vict., *vim̄tibus* t. Fur. pro *vimentis*, A. XV, 55. *crim̄* t. Jac. Gronov. pro *crimen*, c. 69. extr. *m̄sae exitium* pro *mensa exitium* t. Pich. reperitur. Idem codex in subscriptione Sallustii ad finem lib. IX. Metamorph. Appul., quam scripturae Msti quam maxime assimilatam Benedictini l. l. tab. 49. ediderunt, *em̄davi* i. e. *emendavi* exhibet. Porro particulam *tamen* in Ms. compendio *tam̄* exarari, testis est Jac. Gronovius ad A. XVI, 17; ac re vera in specimine lib. X. pr. Metamorph. Appul. a Benedictinis l. l. typis expresso legitur *tam̄*. Ceterum caveas, ne hoc compendium cum *tām* i. e. *tandem* confundas [114]; quod Victorio accidit, qui A. XIV, 12. extr. in Ms. *tamen mitigata* legi prodidit, quum Furia *tām* i. e. *tandem* reppererit, quod inde a Bekkero vulgatur pro *tum* [115].

Jam vero neglecto syllabae *en* compendio ut in aliis Mstis [116], ita in Mediceis interdum nata est corruptela. Ita A. I, 20. extr. Heinsii emendationem *intentus operis ac laboris* pro lectione codicis *intus o. a. l.*, quam Bezzenberger Obss. Tacit. 1840. p. 20. sq. frustra studuit tueri, recte substituerunt Walther, Baehius, Rupertius. *Intentus* idem fere h. l. significat, quod *severus* aut *ad-*

---

114) Sic Martial. XII, 97, 10 cod. Berol. b. *tamen* pro *tandem*, et vicissim Tac. Ann. XIII, 15 pr. cod. G. *tandem* pro *tamen* exhibet.

115) Similiter particulas *tum* et *tamen* ob compendiariam scribendi rationem saepe confundi satis constat, sicut Tac. Ann. XIII, 15 pr. et 42; XIV, 27; Hist. IV, 23; V, 16 Germ. 11. Cic. Tusc. I, 35, 85. Cfr. Drakenb. ad Liv. XXII, 17, 12 et Ruhnk. ad Vell. II, 32, 6 p. 83 ed. Clud.

116) Sic Agric. 35 Rhenanus certissima emendatione ex scriptura codd. et edd. vett. *agmine quo* elicuit lectionem *agm̄ in aequo* i. e. *agmen in aequo*, quam Walchius, Bekker, Bachius, Ritter recte praetulerunt vulgatae *agmen aequo*. Dial. de Oratt. 20 omissa lineola transversa ex *ssus*, compendio vocis *sensus*, orta est lectio codd. Neap. Paris. Perizon. edd. vett. *sic in suis aliquis* pro vulg. *sic sensus aliquis*, sicut c. 22 in cod. Paris. *nulli ssus* pro *nulli sensus* legitur. Cap. 31 lectio cod. Paris. edd. vett. *ex communibus ducta sermonibus oratio* nata est ex male intellecto compendio *ss̄ibus* i. e. *sensibus*, quod scribitur in codd. Neap. Perizon. et edd. inde a Lipsio. Cf. etiam Goeschen. Ind. siglarum p. 441. 451. 492. 501. 506. 507. 510. ed. Gaii sec.

ductus, immixta tamen notione studii industriaeque ac diligentiae, id quod pluribus etiam exemplis probari potest, quam quae ab Heinsio iam sunt allata. Ceterum *intus* ortum est ex compendio *inttus*, sicut H. V, 22. lectio cod. Ma. *toriis* ex archetypi scriptura *t̄toriis* i. e. *tentoriis* nata est; cf. supra p. 33. sqq.

H. I, 22. extr. scriptura codd. et edd. vett. a Bachio et Rupertio revocata *cupidine ingenii humani libentius obscura credi* originem traxit ex compendio scribendi *credī* i. e. *credendi*. Ita enim ex emendatione Lipsii et Acidalii, quam Pichena probavit, Ernest. Oberl. Bekk. Ritt. Kiessl. scripserunt. Sane quidem Walthero, qui primus lectionem *credi* tueri conatus est, quemque Bachius et Rupertius secuti sunt, facile concesseris infinitivum interdum pro gerundio cum substantivis iungi (de quo usu videas praeter Reisig. Gramm. Lat. §. 440. p. 772. sq. Vechneri Hellenolex. ed. Heusing. p. 265. sqq. et Ruddim. Instt. Gramm. II. p. 225. et 229); sed si accuratius in rem inquisiveris, intelliges a certissimo quoque latinitatis auctore non passivi, sed activi infinitivum eiusmodi substantivis conjungi. Itaque quum Tacitus quoque eam loquendi consuetudinem secutus sit, potius *credere* quam *credi* exspectares. Taciti autem morem praeter exempla ab ipso Walthero allata probant haec: A. VI, 12. *dato sacerdotibus negotio vera discernere*; A. XIV, 22. *quibus nova et ancipitia praecolere avida et plerumque fallax ambitio est.* Ceterum de gerundio *credendi* in fine enunciationis posito cfr. A. VI, 28. pr. *phoenix . . . . praebuit materiam doctissimis indigenarum et Graecorum multa super eo miraculo disserendi*; A. XIII, 39. *unde orta fiducia caput gentis Artaxata aggrediendi.*

Sed erant e contrario, qui H. I, 62. et IV, 28. compendio archetypi *nom*, quod Ma. fideliter servavit, *nomen* significari opinati, aut auctoritatem et fidem optimi codicis detrectarent, aut omnem rationem ac sermonis leges perverterent. Legitur enim H. I, 62. teste Furia in Ma.: *Instructi intentique signum profectionis exposcunt. nom Germanici Vitellio statim addito. Caesarem se appellari etiam victor prohibuit. Laetum augurium* sqq. Jam vero a doctis Benedictinis, qui l. l. tab. 60. vetera scribendi compendia collegerunt, atque a Goeschenio in Ind. siglarum p. 459. 508. ed. Gaii sec. docemur *nomine* scribi compendio *nom* vel

nem vel *nom*, quod originem mihi videtur traxisse tum ex frequentissimo ejus vocabuli in libris Ictorum usu [117]), tum ex formulis solemnibus, quae in ritibus sacris et in diplomatis medii aevi frequentissime reperiuntur, qualis est trita illa: *In nomine Domini nostri Jesu Christi*. Ceterum compendium *nom* etiam in communi fonte archetypi, ex quo codices descripti sunt, extitisse varietate lectionis valde probabile fit. Recte enim codd. B.C. et edd. Spir. Rhen. sqq. ad Ernestium exhibent *nomine* . . . . *addito*; sed librarii codicum G.H.O.Oa.R. et Puteolanus compendium perverse interpretati, ita locum emendarunt *nomen* . . . *additum*, quam conjecturam Ernest. Brot. Oberl. Bip. Walth. Bekk. in textum receperunt. At novissimi editores Bach. Ritt. Rup. Kiessl. ad lectionem illam ante Ernestium vulgatam, quae nunc testimonio codicis Ma. firmatur, redierunt. Ceterum quum de distinctione verborum nihil certi ex codd. proditum sit, neque libris Mstis ea in re quidquam auctoritatis sit, elegantioris vero sermonis leges ex protasis dativo *Vitellio* subjectum apodosis sumi vetent, malim sic distinguere: *i. i. s. p. exposcunt. Nomine* . . . *addito (Caesarem* . . . *prohibuit), laetum augurium* sqq. aut: *i. i. s. p. exposcunt, nomine* . . . *addito, Caesarem* . . . *prohibuit. Laetum augurium* sqq., quam cum Bachio, Rupertio et Kiesslingio ex Waltheri sententia punctum post *exposcunt*, virgulam post *addito* et rursus punctum post *prohibuit* ponere. Nam huiusmodi distinctio potius hanc structuram poscere videtur: *Vitellius, nomine* . . . *addito, Caesarem* . . . *prohibuit*. Accedit quod oratio, qua profectio Germanici exercitus narratur, in utraque distinctione a nobis proposita uno tenore fluit, quum distinctione Bachii et Rupertii ordo rerum interrumpatur atque impediatur, quippe mediae orationi enunciatio inseritur, qua quid Vitellius alio tempore, eoque posteriore fecerit, refertur. Ab altera illa distinguendi ratione, quam amplexi sumus, paulum recedunt edd. Rhen. sqq. ad Ern. Alter locus, quo compendium *nom* librarii nonnulli aeque atque editores falso interpretati sunt, legitur H. IV, 28.; ubi ante Jac. Gronovium e libris familiae Genuensis haec edebantur: *Actae utrobique praedae, infestius in Ubiis, quod gens Germa-*

117) Cf. e. gr. locos ex comment. Gaii p. 459 ed. Goesch. collectos.

-*nicae originis eiurata patria Romanorum nomine Agrippinenses vocarentur.* Sed quum ille e Ma. *nom̃* prodidisset eoque compendio *nomen* significari dixisset, quam quidem formam etiam A. B. R. edd. Spir. Beroald. exhibent, omnes editores scripturam *nomine* respuerunt, plerique lectionem *nomen* quoquomodo acriter defendere studuerunt, pauci verba *Romanorum nomen* in suspicionem additamenti ex margine antiquissimi cuiusdam libri textui inserti adduxerunt. Certe utrique non ita fecissent, si considerassent compendio *nom̃* aeque *nomine* ac *nomen* significari: neque illis lectio *nomen* admodum elegans, neque his insiticia visa esset. Et admiratores [118] quidem lectionis *nomen* Ritter, quamvis strictim, bene tamen refutavit: idemque concedit vix quidquam restare, nisi ut *nomine* scribatur, quod ideo tantum respuit, quia ex errore inde a Jac. Gronovio propagato in Ma. *nomen* diserte legi opinatus formam *nomine* ex *nomen* ab interpolatore factam esse putat. Cfr. de locutione *aliquo nomine aliquem vocare* Germ. 28: *Ubii . . . libentius Agrippinenses conditoris sui nomine vocantur*; H. I, 13. pr. *Icelum . . . equestri nomine Marcianum vocitabant.* Ad verba *Romanorum nomine*, pro quibus haud scio an recte Faërnus *Romano nomine* substitui voluerit, apte attulit Kiesslingius ex H. IV, 64. *nomen Germaniae* i. e. *nomen Ubiorum.*

Syllaba *er*, quippe quae in libris Mstis compendio ~ aut ~ aut ʾ significari soleat [119], partim male intellecta, partim neglecta

118) In numero eorum etiam Jacobus habendus est, qui l. l. p. 23, postquam eos, qui verba *Romanorum nomen* eliciendo censent, bene interrogavit, quis ille talia appinxerit et quo consilio, simulque monuit indignationem Germanorum iis verbis describi, loquum distinguendo sanasse sibi visus est. Ita enim scribi iussit: *quod gens G. o. eiurata patria — Romanorum nomen — Agrippinenses vocarentur,* tanquam exclamatio indignantium orationi Tacitinae interposita esset, id quod vix cuiquam placuerit.

119) Sic Hist. III, 61 *ũba* i. e. *uerba* in Ma. pro vulg. *versa* scriptum est; idemque liber in subscriptione Sallustii supra allata exhibet *ctrověsias* i. e. *controversias* et in initio lib. X. Metam. Appul. *ppt-* i. e. *propter*. Martial. Supposit. I, 6 in optimo codice Vossiano R, qui iudice Geelio ineunte potius quam exeunte saeculo nono scriptus est, compendium *libʳ* i. e. *liber* reperitur, quod Burmannus, qui et ipse illum codicem contulit, falso interpretatus est, quasi *libens*

est cum in aliis codd. [120]) tum in Mediceis. Sic A. I, 4. M. exhibet *dissere* pro *disserere*; c. 17. extr. lectio M. *accepit* orta esse videtur ex *accepint*, quod in archetypo, ex quo ille codex descriptus est, pro *accepint* i. e. *acceperint* exaratum fuisse su-

---

significaretur; cf. ed. Schneidew. Vol. II. p. 736. Benedictini l. l. p. 539 sqq. haec vocabula compendiose scripta protulerunt: *ass̃it* i. e. *asserit*, *carc̃em* i. e. *carcerem*, *dix̃unt* i. e. *dixerunt*, *ed̃a* i. e. *edera*, *em̃gẽte* i. e. *emergente*, *f̃iata* i. e. *feriata*, *fũit* i. e. *fuerit*, *laud̃is* i. e. *lauderis*, *m̃ita* i. e. *merita*, *ꝓcess̃it* i. e. *processerit*, *t̃ras* i. e. *terras*, *ṽt̃el* i. e. *verteretur*. Cf. etiam Goeschen. Ind. sigl. p. 440. 441. 449. 495. 501. 507. 509. 510.

120) Sic Vell. I, 9, 1 cod. Murb. et apogr. Amerb. exhibent *fuit* pro vulg. *fuerit* et II, 59, 5 *pollicentur* pro *pollicerentur*. Cic. Tusc. III, 22, 52 lectio codd. Mstorum et edd. vett. *fieri*, pro qua emendationem Rivii *ferire* Wolfius, Orellius, Kuehner bene substituerunt, ex compendio *f̃ire* vel *ꝭire* orta est, sicut Tac. Hist. V, 17 in G. *obꝭvari* i. e. *observari* scriptum est. Ex eodem compendio a librariis neglecto frequens verborum *suus* et *servus* permutatio nata est, de qua v. Drakenb. ad Liv IX, 14 et XLI, 8. Itaque vix dubito Cic. pro Caecina 10 §. 35 ed. Beck. vulgatae lectioni *A. Atilius et eius filius L. Atilius et armatos ibi fuisse et se suos armatos adduxisse dixerunt* Ernestii conjecturam a Beckio probatam *et se servos armatos* sqq. praeferre, quum praesertim compluries in ea orationis parte mentio fiat servorum armatorum Aebutii ejusque propinquorum. Vide c. 9. §. 32 et c. 10 §. 40 ed. Beck. Et friget pronomen possessivum absolute dictum. Deinde Tac. Agr. 25 lectio codicum et edd. Put. *impellitur*, quam soli, quod sciam, Walther et Bachius vulgatae *impelleretur* perperam praetulerunt, ex neglecto compendio *impelletur* originem duxit perpetua literarum *e* et *i* permutatione. Respuit quippe librarius archetypi futurum tempus in narratione rei praeteritae, admisit praesens historicum in apodosi quidem conjunctioni *cum* saepe coniunctum; cuius tamen usus plane diversa ab h. l. est ratio. Cf. Zumpt. §. 580 ed. VII. Ramsh. p. 778 sq. Dial. de Oratt. 22. prava cod. Msti Paris. et edd. vett. scriptura *ex tempore* ex compendio *excpere* i. e. *excerpere* nata est, literis *c* et *t* insuper permutatis. Ibid. c. 31 pr. cod. Neap. *exercent* exhibet pro *exercerent*. Denique Ann. XIV, 51 librarius eius codicis, ex quo C. R. et ed. Spir. descripta sunt, compendium *ad ultia* i. e. *adulteria* male interpretatus *ad ultima* scripserat. Cf. praeterea Goeschen. Ind. sigl. p. 440. 441. 449. 495. 501. 510. ed. Gaii sec.

spicor. Vulgatum *acceperint* in margine codicis posuit Beroaldi, ut videtur, manus; cf. Walther Praef. Vol. I, p. XVI. XL. Doederl. Praef. p. XI. — A. II, 62. extr. M. praebet *transtulat* pro *transtulerat*; A. III, 22. *profendo* pro *proferendo*; c. 49. *adsevavit* pro *adseveravit*. A. IV, 5. extr. *sed persequi incertum fuerit* vulgatur in omnibus editionibus recentt. praeter unam Bachianam pro scriptura codicis et edd. vett. *fuit*. Facile enim est intellectu, sententiam a Tacito cum aliqua modestia proponi, de quo perf. conj. usu vid. Zumpt. §. 527. Ranish. p. 599. sq. Allato ex A. XV, 41. a Walthero exemplo addas haec: A. IV, 33. *haec conquiri tradique in rem fuerit*; c. 32. extr. *non sine usu fuerit*; A. XIV, 56. *non tamen sapienti viro decorum fuerit*; H. II, 2. *haud fuerit longum*. Male Doederlinus quoquo modo lectionem codicis defensurus a Tiberio apud patres referente haec dicta esse iudicavit. — A. IV, 59. M. exhibet *conducet* pro *conduceret*; A. VI, 2. lectio Msti *urbis* ex compendio *u'bis* i. e. *verbis* orta. A. XII, 1. pr. scriptura Ma. *intonanti* originem traxit ex compendio *intolľanti* i. e. *intolleranti* pro vulg. *intoleranti*. C. 17. pr. lectio codd. et edd. vett. *postremo* ex archetypi scriptura *posto* i. e. *postero* nata esse mihi videtur. A. XIV, 43. Ma.C.G.O.Oa. ed. Spir. exhibent *profuit* pro vulg. *profuerit*. H. II, 59. lectio Ma. *venilibus* i. e. *vennilibus*, non *vernilibus*, ut Pichena prodidit, ex archetypi scriptura *vnilibus* ideo nata esse videtur, quod librarius compendium *v* pro sigla syllabae *ven* male acceperat. Jam reliqui librarii alius aliud conjectura eliciuerunt ex archetypi compendio: libri familiae Genuensis *iuvenilibus*, peiores familiae Romanae codices *humilibus* exhibent, quod etiam in nonnullorum Genuensis librorum margine legitur, unde transiit in edd. Put. sqq. ad Pichenam, qui *vernilibus* bene rescripsit.

Ita saepius evenit, ut praepositio *inter* compendiose scripta [121]) cum *in* a librariis confunderetur [122]). Felicissima igitur

121) Praepositio *inter* compendio *int* vel *it* significatur, et prius quidem compendium, quod in Ma. H. III, 72 extr. teste Pichena legitur, iam in libro quodam saeculo nono scripto apud Benedictinos l. l. p. 268 exstitit, ubi est *inf p̃tati sum'* i. e. *interpretati sumus*. Cf. etiam Goeschen. Ind. siglarum p. 495. 445.

122) Eadem confusione H. II, 36. codd. G. O. et a pr. m. H. Oa. *incursu*

conjectura H. V, 20. extr. Kiesslingius scripsit *Germanorum manus Batavoduri* interrumpere *inchoatum pontem nitebantur* pro codd. et edd. vett. lectione *inrumpere* vel *irrumpere*. Falso enim Walther, qui, quamquam Ernestius, Bipontini, Oberlinus, Bekker, Ritter, Rupertius ex O. *rumpere* ediderunt, scripturam codicum cum Bachio revocavit, affirmat *irrumpere aliquid* idem esse, quod *irruptionem facere in aliquid, ut interpellctur*. Interpellandi vero notio longe abest a verbo *irrumpere*, quod significat *invadere vi atque impetu*. Et locus a Walthero ex A. IV, 67. pr. allatus *ne quis quietem eius* interrumperet aut ita interpretandus esse videtur, ut verbum *irrumpere* per tralationem de quiete dictum censeas, quum proprie fines, castra, stationes, portae, acies irrumpantur, aut ita corrigendus, ut pariter scribas *interrumperet*, id quod equidem praetulerim memor locutionis *somnum interrumpere* (v. Plin. N. H. 28, 4.). Sed ut ad inceptum redeam, non crediderim Tacitum retulisse, Germanos nixos esse inchoatum pontem vi atque impetu invadere, nisi forte ille significare voluit, Germanos ponte, quamvis inchoato tantum, ipsos Batavodurum invasisse [123]). Et si tale quid narrare voluisset, certe scripsisset: *Germanorum manus Batavodurum irrumpere per inchoatum pontem audebant*. At si Germani ipsum oppidum oppugnare adorti essent, crederes gentem praecipuo nandi studio, imperfecto ponte, quem Romani praesidio haud dubie tuebantur, omisso, amnem Rhenum incustodito loco tranaturos atque oppidum a terra aggressuros fuisse. Totius vero loci ratio ac verba *nitebantur* et *inchoatum pontem* docent, Germanos inchoatum pontem interscindere conatos fuisse, ne Romanus exercitus amnem transgrederetur atque insulam Batavorum occuparet vastaretque. Eadem de causa paulo ante Civilis diruerat molem a Druso Germanico factam et disiectis, quae morabantur, Rhenum (i. e. Vahalem) prono alveo in Galliam ruentem

pro *intercursu*, Varr. de L. L. VI. §. 3 p. 73 ed. Muell. cod. Gothanus *invallum* pro *intervallum* (cf. p. 279), Vell. Paterc. II, 32, 3. ed. pr. *inter utrumque*, apogr. Amerb. *in utrumque* praebet. Plura vide apud Drakenb. ad Liv. 38, 57, 6; ap. Kreyssig. Praef. ed. Vell. p. XXVIII; ap. Hand. Tursell. Tom. III. p. 356 et 410.

123) Talis fere est explicatio, quam Jacobus l. l. p. 29 proposuit, ut nunc demum video.

effuderat; qua de re cf. H. V, 19. Locutione *pontem irrumpere* iterum utitur Tacitus H. I, 70; Plancius ap. Cic. ad Fam. V, 23; Justin. I, 2, 13. Similiter pontem interscindi dicit Cic. de Legg. II, 4. Ceterum lectio codicis O. ab usu loquendi nihil habet offensionis: cf. Tac. A. I, 63. *raptos vetustate pontes*; A. II, 68. *pontes accolae ruperant.* Sed verbo *inchoatum* melius convenit *interrumpere.*

Syllaba *it* compendio - scripta [124]) ansam videtur dedisse corruptelae H. IV, 64, ubi Ma. *intulisse* pro *intul se* i. e. *intulit se* exhibet [125]).

Syllaba *on*, quippe quae in antiquissimis libris Mstis transversa lineola recta significaretur [126]), a librariis haud raro ne-

124) Cf. Freund. Cic. orat. pro Milone ad cod. Erfurt. exemplar ed. Praef. p. VIII. In schol. ad Pers. II, 5 cod. Norimbergensis *liau* i. e. *liauit* exhibet pro *libauit* vel potius *libabit*; cf. C. Fr. Hermann. disput. alt. de scholiis Persianis p. 23. Benedictini l. l. tab. 60 exempla attulerunt *incip* et *sed*. Item in codice Voss. R. in Mart. libris extr. compluries scriptum est *INCIP* i. e. *incipit*; V. ed. Schneidew. Vol. II. p. 709. 718. 723. 725.

125) Similiter Vell. II, 125, 4 ex corrupta ed. pr. et apogr. Amerb. scriptura *pleraque ignave Germanicus* editores Bipontini, quos Kritzius in editione praestantissima secutus est, eo certiore eruerunt emendatione *p. ignovit G.*, quo frequentior in vett. libris Velleii est literarum *a* et *o* confusio; de qua v. Kritz. Prolegg. ad Vell. p. LXXXVI sq. et CX. Similiter Vell. II, 42, 1 ed. pr. et apogr. Amerb. *destituere* exhibent pro *destituerit*, quae est emendatio Rhenani Krausio, Cludio, Orellio, Laurentio, Kritzio probata.

126) Sic in antiquissimo Martialis codice R. II, 67, 3 *cveneris* et 90, 9 *ciux* scriptum est, atque in specimine Medicei codicis Taciti Appuleiique a Benedictinis l. l. tab. 49 p. 278 sq. edito legitur *ctrousias* i. e. *controversias* et *cstantinopoli*. Particulam negativam compendio *n* in antiquissimis exemplaribus significatam esse docuerunt Benedictini l. l. tab. 60, et Jac. Gronovius Tac. Ann. IV, 52 *n ideo laedi* in cod. M. repperit scriptum, idemque ad Ann. XV, 10 annotavit, cap. 28 ejusdem libri codicem Ma. exhibere *Corbulo n vitatus*, unde Doederlinus ex felicissima Jac. Gronovii emendatione, in quam et ipse inciderat librarius codicis A., censuit rescribendum: *Corbuloni non vitatus.* Cf. de h. l. quae supra p. 25 et 79 diximus. Idem compendium reperitur in Cassellano cod. Servii et in Martialis cod. R, qui III, 89, 2 *n* pro vulgato *nam* exhibet. Ita

glecta, ut in aliis codicibus [127]), ita in Mediceis corrumpendae scripturae praebuit occasionem. A. II, 32. lectio Msti *cordiae* orta ex archetypi scriptura *c̄cordiae* i. e. *Concordiae* [128]). A.

etiam evenit, ut Mart. III, 38, 6 codicis T. librarius in archetypi lectione *noras* compendium *n̄ oras* latere male opinatus, *non oras* scriberet.

127) Ita factum est, ut in codicibus Varronis de L. L. permultis locis negativa particula omitteretur: cf. Mueller. Praef. p. XXVI. Porro Dial. de Oratt. 6 lectio codd. Neap. Paris. Periz. et edd. vett. *coire populum et circumfundi coram* ex compendio *c̄oram* orta esse videtur: recte igitur plerique editores recentiores ex ingeniosa coniectura Acidalii et Schelii *coronam* rescripserunt, cuius emendationis interna argumenta vid. apud Waltherum. Ceterum de usu loquendi, ex quo etiam ii, qui alios cingunt, circumfundi dicuntur, cfr. praeter Waltherum etiam Oudendorpium ad Hirt. B. Afr. 78 ac Ruhnkenium et Kritzium ad Vell II, 46, 4. Item huc pertinet felicissima emendatio Orellii, qui in Dial. de Oratt. 41 pro lectione Mstorum Neap. Periz. Vatic. et edd. vett. *sic minor oratorum horum obscuriorque gloria est* proposuit *s. m. o. honor o. gl. e.* Quodsi in archetypo *h̄or* scriptum erat, facillime id compendium abire potuit in *horum*, quum praesertim genitivus pluralis *oratorum* proxime praecederet. Cf. quae supra p. 15 sqq. et p. 20 sqq. de talibus vitiis dixi. Suadet emendationem etiam frequentissima synonymorum coniunctio, quam auctor dialogi perquam adamavit. Sic c. 12. legitur: *Nec ullis aut gloria maior aut augustior honor.* Similiter coniuncta reperiuntur c. 18 *fama gloriaque*, c. 26 et 41 *laus et gloria*, c. 7 *fama et laus*, ap. Cic. pro Murena 5, 12 *honos et gloria.* Ex contrario Vell. II, 116, 5 cod. Murbacensis teste Burerio exhibuit, apograph. Amerbachianum hodieque praebet *honorum virorum mentioni* pro vulgato *horum v. m.* Librarius Murbacensis quippe pronomen *horum* pro compendio verbi *honorum* scriptum fuisse opinabatur. Cf. etiam Goeschen. Ind. siglarum p. 455 sq. 507.

128) Potuit tamen id quoque fieri, ut scriptura *cordiae* ex neglecto syllabae *con* compendio ᶜ vel ꝯ vel ɔ oriretur, unde crebra illius syllabae omissio repetenda videtur. Quo etiam factum est, ut Cic. Lael. 7, 23 in codd. Erf. Haen. Pith. B. Gernhardi et in uno Manutii *iunctionem*, in duobus Berolin. et vetere libro Langii *vinctionem* reperiretur pro vulgata et plurimorum et optimorum librorum lectione *coniunctionem*, quae optimi Gudiani codicis scriptura *ᶜiunctionem* egregie firmatur. Ibid. 9, 32 vulgata lectio *honesta certatio* nata esse videtur ex *ᶜcertatio*, quod compendium vocis *concertatio* in quinque Manutii libris, in duobus Oxon. et Dresd.

XIV, 38; corruptum in Ma. et ed. Spir. nomen *suetior* natum ex compendio *suetio* i. e. *Suetonio*. H. IV, 62. verba *inhora signa*, quae pro vulgatis *inhonora signa* in Ma.B.R. leguntur, ex compendio *inhora s.* orta sunt.

Quae quum ita sint, unice probanda mihi videtur cum Bezzenbergero Emendatt. delect. p. 20. coniectura a Jac. Gronovio de A. IV, 26. proposita. Is enim pro vulgata codicis lectione *quos* (scil. *legatos*) *Tacfarinate caeso perculsa gens et culpae nescia ad satisfaciendum populo Romano miserat* legendum censuit: *et culpae n* (i. e. *non*) *nescia* sqq. Jam vides, quam facile scriptura *n nescia* in *nescia* abire potuerit, alterutra *n* litera omissa. Vulgata verba post Salinerium, Bachius, Ritter et Doederlinus ita defendere studuerunt, tanquam rex tantum Garamantum, non ipsa gens Tacfarinati opem tulisset. Vulgatis enim haec verba, quae c. 23. leguntur, *erat illi praedarum receptor ac socius populandi rex Garamantum, non ut cum exercitu incederet, sed missis levibus copiis* utique repugnare multis videbantur. Sed illud discrimen spinosius est quam verius. Neque enim inde, quod rex non cum iusto exercitu, sed cum levibus copiis incesserat, colligi potest, eum invito aut certe nescio populo utique ad latrocinia prono (cfr. H. IV, 50.) leves illas copias nimirum ex iisdem istis popularibus, ut barbaris gentibus moris est, delectas praedatum misisse: et si Tacitus breviter tantum id indicare voluisset, aut supra cap. 23. haec duo verba *nescio populo* addita, aut h. l. *culpae* a l i e-

---

b. scriptae atque a Lambino editae in praestantissimo codice Gudiano Schneidewinus repperit. Cf. Klotzii Append. crit. ad Lael. p. 215. Neque dubitatio Gernhardi, qui concertationem proprie verborum esse dixit, tantum valet, ut hanc lectionem ratione palaeographica criticaque maxime commendatam spernamus. Quippe Tac. Ann. XIV, 29 Paullinus Suetonius appellatur Corbulonis c o n c e r t a t o r i. e. aemulus. Ex eiusdem compendii neglectione Cic. Tusc. IV, 13, 30 variae lectiones aliquot editionum veterum *turbatio* et *perturbatio* pro *conturbatio*, quae est scriptura ed. Orell. gravioribus auctoritatibus probata, originem traxisse videntur. Bene igitur Lambinus et Orellius Cic. Brut. 38, 142 *in conquestionibus* pro vulgato *in questionibus* substituendum censuerunt. Cf. Orell. p. 268 sq. edit. seorsum a. 1830 emissae et Goeschen. Ind. siglarum p. 427.

nae nescia scripta fore arbitror, ut c. 20. extr. haec leguntur: *Insontes magistratus et culpae alienae nescii*; cf. et Virg. XII, 648: *Sancta ad vos anima atque istius nescia culpae descendam.* Et sane, dum haec scribo, venit mihi in suspicionem, potuisse verbum *alienae* inter *culpae* et *nescia* excidere. Cfr. quae supra p. 64. sqq. de nono vitiorum genere disserui. At non erat, cur gens omni culpa libera morte Tacfarinatis percelleretur atque populo Romano satisfacere studeret. Immo propria vi verbi *satisfacere*, de qua vid. Gesner. Thes. ling. et erudit. Rom. s. h. v., valde probatur, Garamantes non ut alienae culpae nescios sui purgandi causa, sed ut culpam confitentes excusandi ac deprecandi causa legatos Romam misisse. Sane vero, quod illi levis armaturae tantum manu praedati fuerant, non iusto exercitu Romano imperio arma intulerant, in eo aliqua spes posita erat fore, ut veniam facilius impetrarent. Ceterum non est, quod egregiam istam, qua historiae illius temporis novam lucem Ritter attulit, opinionem, regem a Garamantum primoribus ad Romanos placandos fortasse depulsum esse, solemniter refutem. Nonne tibi redibit in memoriam illud Goethii?

Im Auslegen seid frisch und munter!
Legt ihr's nicht aus, so legt was unter.

Eodem, quo Jac. Gronovii emendatio, redit conjectura Lipsii *et culpae conscia* (*c̄scia*) aut Ryckii *nec culpae nescia*, sed illa multo praestat a ratione palaeographica. *Non nescius* iterum legitur c. 32., *haud nescius* A. II, 55. IV, 50. XV, 68. extr. *non ignarus* A. IV, 53. XI, 18. pr. XIV, 53. pr. Frequenter igitur usus est Tacitus duplici negatione in verbis sciendi.

Eodem illo syllabae *on* compendio nititur ingeniosa conjectura, qua Doederlinus A. IV, 26. extr. corruptam Msti lectionem *repetitus ex vetusto more omissusque e senatoribus, qui* sqq. hunc in modum [129]) emendavit: *repetitus ex vetusto more honos, mis-*

129) In eo tantum leviter erravit vir sagacissimus, quod omissa particula *que*, quae et in cod. Mediceo extat, et sensu atque orationis conformatione efflagitatur, *repetitus . . . honos, missus e senatoribus* legendum censuit atque Lipsii emendationem *ex vetusto mos*, quae hodie vulgatur, Beroaldo etiam ascripsit.

susque e. s. Corruptela ab initio levis pedetentim gravior est facta. Primo enim vetusto in archetypo omissa aspiratione [130])

130 Universe observabis veteres de aspiratione in vocali usurpanda ita inter se dissensisse, ut non modo diversis aetatibus, sed uno eodemque saeculo multa vocabula ab aliis aliter scriberentur. Librarii igitur et quadratarii verbis a vocali incipientibus *h* literam modo addebant modo omittebant, id quod testimoniis veterum Grammaticorum et inscriptionibus et codd. Mstis demonstratur. Cf. Schneider. Gramm. Lat. I p. 182—186. Sicut h. l. in archetypo *onos* extitisse puto, ita in antiquissimo codice Thuaneo Mart. XIV, 4, 2. *onos*, in titulis apud Gruter. p. 427. no. 1 et p. 465. no. 4 *onestus*, p. 1050. no. 12. *onorius* legi constat. Cf. etiam Goeschen. l. l. Praef. p. XXXXVI. Item Tac. Hist. II, 57 extr. in archetypo vetusto *onoravitque* scriptum fuisse e diversitate scripturae colliges. Nam pro vulgata *honoravitque Asiaticum anulis* Ma. exhibet *oneravitque A. a.*, quod Walthero quidem, quippe Mediceorum codd. mancipio ita placuit, ut vix abstinuerit, quin reciperet; in G. autem legitur *ornavitque*. At onerandi significatio ab h. l. est aliena; honorare vero significat honoris causa donare: cf. H. II, 89. III, 51. Suet. Oct. 45. Ernest. Clav. Cicer. s. v. honor. Similiter scriptum est Hist. I, 13: *Icelo Galbae liberto, quem anulis donatum equestri nomine Marcianum vocitabant*; et Suetonius Vitell. 12 extr. eadem, quae Tacitus, de equestri dignitate Asiatici narrans hisce utitur verbis: *aureis donavit anulis.* Ceterum lectio *ornavit* a latinitate quidem non abhorret (conf. Suet. Galb. 14 *libertus Icelus paulo ante anulis aureis et cognomine Marciani ornatus* et Octav. 27 *Philopoemenem . . . equestri dignitate decoravit*), sed a palaeographica ratione parum habet probabilitatis. De Taciti loco haec iam diu disputaveram, quum cognovi Jacobo l. l. p. 7 lectionem Medicei cod. eximie placuisse. Is enim verbum *oneravit* germanico behängt interpretatus de ludibrio verbis indito cogitasse videtur. At Tacitus non is est, cui atra bilis ita facile moveatur, ut h. l. vile mancipium cavillaretur. Contra ad abusum aspirationis pertinet egregia emendatio, qua Seyffertus Emendatt. Tacit. Fasc. I. p. 5 sqq. locum Ann. I, 59 foede corruptum sanavit. Codicis enim scriptura *redderet filio sacerdotium hominum*, pro qua ille substituit *r. f. s. omissum*, ex *homissum* orta esse mihi videtur. Quae mihi quidem olim in mentem venerat conjectura *r. f. sacerdotiūinhorum* i. e. *r. f. sacerdotium inhonorum*, eam nunc praecipuae illi imparem iudico. Plura exempla aspirationis in codd. Mediceis aut omissae aut additae dabo in altera commentationis parte, ubi de tertio vicesimo

onos scriptum erat, unde in eum codicem, ex quo Mediceus liber postea descriptus est, compendium *ōs* i. e. *onos* transiit. Jam vero librarius Medicei quum, quid syllaba *ōs* significaret, ignoraret, leni sane mutatione, qua verbo *ōsmissusque* sonum quidem latinum redderet, *omissusque* scripsit. Hodie quidem ex emendatione Lipsii vulgatur *repetitus ex vetusto mos missusque* sqq.; sed ut taceam, quod ita forma *omissusque*, unde orta sit, explicari nequit, facile intelligitur, non reductum esse vetustum aliquem morem tunc obsoletum, quippe quum etiam Julii Caesaris aetate idem honor Ariovisto decretus esset, ut rex et amicus appellaretur eique munera amplissima mitterentur (v. Caes. B.G. I, 43.), sed occasione denuo data illum honorem Tiberio imperitante ex more inter veteres iam recepto repetitum i. e. rursus decretum esse. Accedit quod in locutione *ex vetusto* novo atque inaudito adiectivi usu offendimur, quum potius *ex antiquitate* vel tale quid expectares. Contra vocabulum *honos* sententiae est aptissimum, immò vero proprium, et forma *honos* etiam A. XV, 74. H. II, 59. Germ. 13. 29. 44. Agr. 46. reperitur [131]. Ceterum, quamquam non est, quod ad usum locutionis *ex vetusto more* Tacito vindicandum exempla congerantur, conferas A. IV, 16. *vetusto more*, c. 27. *vetere ex more*, A. XIV, 42. *vetere ex more*, H. IV, 61. *vetere apud Germanos more*; H. I, 54. pr. et IV, 12. extr. *vetere instituto.*

Syllaba *re*, imprimis quum verbi erat ultima, transversa lineola curva aut hac nota ˜ a librariis significabatur [132]: quam

---

vitiorum genere id est de vocabulis contra orthographiae leges scriptis disseram.

131) Haasius in nota 33. ad Reisigii Gr. Lat. p. 61 formam *honos* etiam Ann. IV, 37 inveniri ait, sed quotquot mihi quidem innotuerunt editiones, eo loco formam *honor* praebent; id quod annoto, ne quamvis levis error posteritati propagetur.

132) Cf. Waltheri Praef. ed. Tacit. Vol. I. p. XX. Ex libris Mstis a Benedictinis l. l. p. 539 not. 1. annotata sunt verba *c̃bris* i. e. *crebris* et *acqrẽ* i. e. *acquirere*. In G. Tac. Ann. XII, 12 *exercẽ* i. e. *exercere*, A. XVI, 11 *senio* (ω supra) i. e. *seniore* extat; idemque codex H. III, 51 extr. habet *ex vete* (ω supra) *memoria*, quam ablativi formam etiam O.Oa. et edd. Spir. Put. bene praebent, quamquam inde a Beroaldo forma *veteri* vulgata est. Sed haec nulla nititur auctoritate, nisi silentio

ob rem in codicibus facile potuit aut omitti [133]), aut cum alio compendio permutari [134]). Ita A. III, 17. extr. pro vulgato *re-*

virorum doctorum, qui Mediceum librum inspexerunt. Ista vero fides et auctoritas in talibus rebus, quae vulgo a criticis inter minutias referuntur, fere nulla est: et caveas, ne Beroaldum scripturam *veteri* ex Ma. deprompsisse putes. Omnino enim vix credibile est, Romanum illum typographum, qui sex priores quidem Annalium libros ex Mediceo codice tunc Romae servato edidit, alterum quoque Mediceum manu versavisse, quippe qui iam tum Florentiae et quidem in D. Marci bibliotheca fuisse videatur; cfr. notam Victorii in Waltheri Praef. p. XXXVII descriptam cum Bandini Catal. codd. Lat. Bibl. Laur. Med. T. II. p. 836 cum iisque, quae Keilius de D. Marci bibliotheca Florentina nuper scripsit in Schneidewini Philologo I, 1 p. 182. Jam vero reliquos Annalium et Historiarum libros a Beroaldo non ex Ma. editos, sed ex editione Puteolani Veneta additos esse, Ernestius Praef. p. XXVII. ed. Bekk. compluribus argumentis probabiliter demonstravit, a qua sententia Walther Praef. p. XXVII. ed. suae temere dissensisse mihi videtur, utpote paucis locis, ubi editio Beroaldi a Puteolana sive operarum vitio sive correctoris industria discrepat, deceptus. Hoc certe loco Mediceum librum a Beroaldo prorsus non inspectum esse inde patet, quod, quum Ma. testibus Victorio et J. Gronovio *poscet* exhibeat, in ed. Ber. *poscent* legitur. Bene igitur Haasius not. 76 ad Reisigii Gr. Lat. p. 90 *vetere* pro vulgato *veteri* rescribendum censuit, in eo tamen erravit, quod Agric. 4 pr. formam *veteri* reperiri ait, quum eam solae, quod sciam, editiones Oberlini et Waltheri ex mendo typographico prioris praebeant. Cfr. Dronkium in novissima Agricolae editione.

133) Sic Vell. II, 105, 2 lectionem apogr. Amerb. *athilam* ex codicis Murb. scriptura *athilām* ortam esse docet ed. pr., in qua legitur *ac hilarem.* Feliciter igitur Ruhnkenius veram scripturam *aut hilarem* Velleio restituit; cf. Kritz. ad h. l. Aurel. Vict. de Caesaribus XVII, 7: *dum incestam mentem pravamque putant* syllaba *re* ante *putant* excidit. Legerim igitur cum Clossio (v. versionem germanicam p. 177) *reputant*, quam emendationem etiam Kleinius in diurnis antiq. Zimmermanni a. 1841 no. 157 p. 1332 probavit.

134) Vell. II, 9, 6 scriptura ed. pr. et apogr. Amerb. *sensibus celebrem*, quam in *sensibus crebrum* acute emendavit Orellius, originem cepit a compendio *c̄brum*, quod ut librarius codicis Murb. male interpretaretur, eo facilius fieri potuit, quo propius adjectivum *celebre* antecedit (v. §. 4). Ceterum de locutione *sensibus crebrum esse* cfr. Kritz. ad h. l. Ita et factum est, ut Vell. II,

legaretur M. *religatur*, edd. vett. *relegatur* exhibent: quam quidem scripturam, licet nuper Kiesslingio, Walthero, Bachio, Rupertio probatam, equidem in textum haud receperim. Etenim quae Walther attulit exempla, ut probaret senatores sententiam dantes dici facere, quod fieri vellent, ea ipsa docent, tum nomen ejus, qui sententiam dixit, additum fuisse. Scripsisset igitur Tacitus h. l. aut *M. Pisonem . . . relegat* (scil. *Cotta*, quod nomen nominandi casu praecedit), aut *M. Piso . . . ab eo* (i. e. *a Cotta*) *relegatur.* Accedit quod ablativi absoluti *exuta dignitate et accepto quinquagies sestertio* illi sententiae conformationi parum conveniunt atque ambiguitatem sermonis non mediocriter augent. Contra vulgata scriptura firmatur simili verborum constructione A. II, 85. extr. reperta. Ceterum facile propter librarii inscitiam fieri potuit, ut is, quippe qui rationem conjunctivi *relegaretur* non intelligeret, perverse instituta verborum constructione compendium illud negligeret: de quo uberrimo fonte corruptelarum cum in aliis scriptoribus tum in Taciti libris deprehensarum alio loco plura disseremus.

Item in Ma. legitur A. XVI, 21. *cum de Agrippina ferretur* pro *c. d. A. referretur*; et c. 22. lectio Ma.A.C.R. *spernit legiones* orta ex archetypi scriptura *spernit* ˜ *ligiones* i. e. *spernit religiones.* H. IV, 48. libri Msti et edd. vett. exhibent *supra petiero* pro *supra repetiero.* H. V, 8. discrepantia codicum, e quibus Ma. et Vat. Lipsii *demgia*, C. *deningia*, F. *deingia*. R. *denigia*, B. *deiugia* vel *deuigia* praebent, ab archetypi scriptura *dein̄gia* i. e. *dein regia*, quae est lectio ex Merceri emendatione vulgata, originem cepit. Itaque quum A. XV, 2. extr. Ma. *exturba*, C.R. et ed. Spir. *exturbat*, libri familiae Genuensis vulgatum *exturbari* exhibeant, compendium *exturbā* in archetypo exaratum, sed postea forte obliteratum, corrumpendae vario modo scripturae ansam dedisse conjicio. Certissimam igitur Ernestii coniecturam *exturbare* nil dubito commendare. Quamquam enim verbum *mandavit* accusativo c. inf. pass. coniungi potest (cf. Suet. Tib. 65. extr.), tamen, quum Monesi curam Tigranis Armenia expellendi mandatam esse ex c. 4. init. constet, illud verbum ad

---

54, 3 in cod. Murbacensi Burerius *parare*, Amerbachius *pareri* legerent; vulgatur vero ex certa Burerii coniectura *parere.*

praecedentem dativum *Monesi nobili viro* aeque ac verbum *tradidit* referendum ideoque infinitivo act. *exturbare* iungendum esse facile intelligitur.

Ita denique evenit, ut syllabae *re* compendium cum syllaba *ret* in Mediceis libris hisce mutaretur locis: A. VI, 2. extr. M. *suaderet* pro *suadere* exhibet; et in Ma. legitur A. XI, 34. *cum obstreperet accusator* pro *cum obstrepere a.*; A. XII, 49. *cum rediret in Syriam iubetur* pro *cum redire* sqq.; A. XV, 69. *occuparet* pro *occupare*; H. I, 64. extr. *iussi pecuniam atque arma deferret* pro *i. p. a. a. deferre*; H. IV, 13. *averteret* . . . . . *et retentare* . . . . *iubebatur* pro *avertere* sqq.

Syllaba *ri*, quippe quae compendio ̉ vel ² vel ~ significaretur [135]), a librariis facile omissa aut cum aliis compendiis confusa est. Ita A. IV, 37. extr. in M. *sacra* pro *sacrari* scriptum est. A. XII, 40. lectio Ma. et ed. Spir. *euigantum* ex scriptura *eu²gantum* pro vulgato *e Brigantum civitate* orta esse videtur. A. XV, 44. extr. codd. Msti praeter A. habent *circulo*, quod a scriptura *cur²culo* i. e. *curriculo* originem cepit. H. I, 71. in Mstis est *pro moribus* pro vulgato *primoribus* [136]). H. V, 1. pr. inde discrepantiam explicabis librorum Mstorum, ex quibus Ma. *prilatis* vel *praelatis* vel *prelatis*, A.C.V.Lipsii *prelatis*, B. *preliatis*, G.H.O.Oa. *proeliantis* aut *praeliantis* praebent: quae scripturae varietas ex archetypi compendio *p²uatis* i. e. *privatis* (scil. *utriusque rebus*) nata est. Inde etiam factum esse videtur, ut in M. A. I, 3. *destinare* pro *destinari*, A. II, 30. *interrogare* pro

135) In Ma. teste Mabillonio l. l. p. 353 tab. V. no. 5. legitur Ann. XII, 1 pr. *p²ncipis* i. e. *principis*, teste Victorio A. XI, 26 *pat̉am* i. e. *patriam* (teste Furia), quae est lectio G. et ed. pr. pro vulgato *paria*. Ceterum scripturam *patriam* ex archetypi compendio *p²aa* ortam esse facile est intellectu. Hist. V, 1 pr. in Ma. teste Victorio *p̃latis*, teste Ryckio *p̄latis* scriptum est, quo *prilatis* aeque ac *praelatis* vel *prelatis* significari potest. Quod si reputasset Walther, defendenda lectione *praelatis utriusque rebus* non perdidisset et oleum et operam. Sic in scripto quodam saeculi tertii decimi *p̃oris* i. e. *prioris* extat: cfr. Benedictin. l. l. p. 546.

136) Similiter Vell. II, 28, 2 ed. pr. *proh res*, apogr. Amerb. *prores* pro *priores* exhibet.

interrogari, atque in Ma. A. XI, 7. *praeparare* pro *praeparari*, A. XIV, 60. *tuere* pro *tueri*, A. XV, 5. *circumsedere* pro *circumsederi*, c. 59. *sperare* pro *sperari*, H. III, 86. *continere* pro *contineri*, H. IV, 81. *integrare* pro *integrari* scriberetur [137]).

Syllaba *ur*, quippe sigla *V* vel ² vel ꝰ vel ˜ notata [138]), interdum et in aliis [138a]) et in Mediceis libris omissa est. Exhibet enim M. A. I, 79 *ut in sententiam Pisonis concederet* pro vulgata lectione *concederetur*, quae Doederlini coniecturae *concederent* longe est praeferenda. A. II, 63. in eodem codice est *reditus* pro *rediturus*. Ma. habet A. XIII, 16. *ne omitteret institutum* pro *ne omitteretur i.* A. XIV, 7. in omnibus libris Mstis praeter G. legitur *ne auctor dubitaret* pro *n. a. dubitaretur*. C. 48. Ma. praebet *ut condemnatus a senatu intercessione tribunicia morti eximeret* pro vulgato *eximeretur*: qua facillima emendatione, si quidem emendatio est lectio librorum familiae Genuensis, minus placet Doederlini coniectura *ut condemnatos . . . eximeret*. A. XVI, 4. *ut nulla oris aut narium excrementa viserent* pro *viserentur* in Ma. legitur. H. I, 31. in eodem codice et edd. vett. extat *legioni classicae diffidebat*, quam lectionem spreta Acidalii coniectura, quae ab Er-

137) Sic Agr. 34 extr. cod. Vat. 3429 *imputare* pro *imputari* habet. Sall. Iug. 46, 4 in aliquot libris *nuntiare* pro *nuntiari* est. Ibid. 35, 3. in multis libris legitur *movere quam senescere omnia malebat* pro vulgata inde a Cortio scriptura *moveri quam s. o. m.*, quam quidem Gerlachius in ed. min. temere sprevit. Cfr. novissimum Sallustii editorem Dietschium ad h. l. p. 261 sq. Cic. Epp. ad Fam. I, 1, 3 cod. Med. *assentire* pro *assentiri* et II, 6, 1 *perferre* pro *perferri* habet. Eiusdem confusionis exempla ex Velleio collegit Kritz. Prolegg. p. LXXXVIII. Vicissim apud eundem syllaba *ri* pro *re* interdum est posita; cujus mendi exempla vide apud Kritz. Prolegg. p. LXXXIX.

138) Pichena ad Ann. IV, 72: *Saepe*, inquit, *et in nostro Msto et in aliis veteribus observavi*, *postremam illam syllabam* (syllabam *tur* dicit) *ita describi, ut tantum litera „t“ appareat, unde plurimi errores*; et ex Ma. protulit Jac. Gronovius ad Ann. XV, 56 scripturam *accit²* pro *accitur*. Cf. praeterea verba compendiose scripta, quae Benedictini l. l. tab. 60 ex antiquissimis codicibus diplomatisque enotarunt, quaeque p. 539 sqq. ex recentioribus libris collegerunt. Cf. etiam Goeschen. Ind. siglarum p. 493 — 495. 509.

138a) Sic Gaii Comment. II. §. 79 pr. codex habet *reqrit* pro *requiritur*.

nestio, Broterio, Bipontinis, Bekkero, Kiesslingio in textum recepta est, Waltherum, Ritterum, Bachium, Rupertium revocasse jure mirabere. Nam de Pisone solo, ad quem verbum illud referendum esse putant, nullus est sermo, atque passiva structura per totam orationem utitur Tacitus, utpote consilia partium Galbae ac Pisonis, non solius Pisonis enarrans: qui passivi usus eos, qui sermonis elegantiam intelligunt, haud fugiet. Cfr. praecedentia: *missus et Celsus Marius* sqq. et: *praeceptum Amulio Sereno* sqq. — C. 62. extr. Ma. exhibet *acciperet* pro vulgato *acciperetur*; H. IV, 55. *incendebat* pro *incendebatur*; c. 86. extr. *subduceret* pro *subduceretur*. Ita etiam factum est, ut A. XV, 29. *itcrum* pro *iturum* in codd. et edd. Spir. Put. scriberetur.

Jam vero quum litera *n* quoque transversa lineola leniter inflexa significaretur, factum est, ut H. V, 5. librarius Medicei codicis pro vulgato *concinebant (cõcinebãt)* teste Victorio scriberet *cõtinebat̃* i. e. *continebatur*, lineola suo loco mota [139]) et *t* litera pro *c* posita.

Itaque A. IV, 72. pro lectione codicis *postquam non subveniebat*, quam plerique editores servarunt, Rhenani emendationem *subveniebatur* Lipsio, Mureto, Ursino probatam bene substituerunt Pichena, Bekker, Ritter. Nam quominus verbum *subveniebat* ad Olennium respiciat, ut Jac. Gronovius, Walther, Bachius, Rupertius, Doederlinus locum expedivisse sibi visi sunt, id obstat, quod de Olennio in proxime praecedentibus verbis nullus est sermo, nedum subiectum enuntiationis in eo nomine reperiatur. Quod autem Doederlinus verbum *subveniebat* absolute positum esse putat, quasi res vel inceptum successerit, ea opinio ipsi sententiae repugnat. Ipsum enim Olennii inceptum pacis quietisque erat impedimentum. Quonam modo igitur potuit expectari, ut inceptum paci subveniret?

---

139) Vicissim Agr. 26 MS. Vat. 4498 et edd. vett. exhibent *iamque in ipsis castris pugnabant* pro scriptura Msti Vat. 3429 *pugnabatur*, quam recentiores editores nonnulli, Becker, Hertelius, Peerlkampius, Dronkius (in ed. II.) bene in textum receperunt. Nam ut alia taceam, librarii in formam *pugnabant* exarandam proniores erant, quippe quum tertia persona pluralis activi *irrupere* proxime antecederet.

Jam in antiquissimis codicibus syllaba *us* compendio [140]) exarata est, quo factum est, ut saepe eam aut omitterent librarii aut perverse interpretarentur [141]). Itaque Ma. exhibet A. XIII, 25. *congressi* pro *congressus*; c. 56. *vivam* pro *vivamus*; A. XVI, 32. *exerciti* pro *exercitus*; H. III, 60. *pacti* pro *pactus*. H. V,

---

140) Sic in antiquissimo codice breviarii *omnib9* scriptum est testibus Benedictinis l. l. p. 449, et siglam 9 nono saeculo iam in usu fuisse docemur ab iisdem viris doctis p. 545. Alias multas eius compendii formas vide ibid. tab. 60; quibus addantur notae ᾿ et ^ in Cassellano codice Servii frequentes. Maxime autem sigla ; in consuetudinem venisse videtur: ita in Cassellano codice Servii syllaba *bus* plerumque scribitur *b;*. In Ma. reperitur teste Mabillonio l. l. Ann. XII, 1 pr. *dom3*, teste Jac. Gronovio XIII, 40 *corn;*, XIV, 36 *man ;*, Hist. IV, 70 *Roman ;*, V, 22 *semisomn;*. Cf. porro Goeschen. l. l. p. 423. 429. 437. 443. 452. 506. 507. 509. In Gaii codice rescripto frequenter legitur $\bar{q}b$. vel $\overset{i}{q}b$. pro *quibus*; cf. Goeschen l. l. p. 480.

141) Varr. de L. L. VII, 94 p. 156 ed. Muell. hic Lucilii versus legitur: *Atque aliquos i b u s ab rebus clepsere foro qui* ex emendatione Scaligeri, quum in codicibus *ibi* reperiatur, ut in argumento acrosticho Plaut. Captiv. plerique codices *inibi* pro vulgata ex Gulielmi conjectura lectione *in ibus* exhibent. Eodem referas corruptum locum Varr. VI, 25 p. 83 ed. Muell., ubi Mueller ex codicum scriptura *compitalia dies attributus Laribus u t a l i b i* felicissime elicuit *c. d. a. L. c o m p i t a l i b u s*. E contrario ibid. V, 25 p. 11 in codd. est *putidus o d o r i b u s* pro *p. o d o r i b i*, quod Mueller certissima conjectura restituit. Denique ibid. IX, 105 p. 232 Mueller ex Spengelii emendatione edidit *s a c r i f i c a t u r aut sacrificatus sum* pro codicum lectione *s a c r i f i c a t u r u s a. s. s.* Facile intelligitur librarium archetypi sententiam Varronis non assecutum propter consequens participium addita *us* syllaba *sacrificaturus* scripsisse. Cic. Cat. mai. 23, 83 nonnulli codices, quibus Graevius quidem obtemperavit, exhibent *c u i obtusior sit acies* pro vulgato *cuius* sqq. Cf. Klotz. ad h. l. p. 166. Tuscul. IV, 32, 68 vulgo editur *c u i in manu sit, quem esse dementem velit, quem sapere* pro emendatione Ernestii *c u i u s in* sqq., quam Wolfius et Klotzius probarunt et codex Duisburg. suo assensu firmavit. Vell. I, 12, 2 prava lectio ed. pr. et apogr. Amerb. *c u m pars* ex scriptura archetypi *cui9* (i. e. *cuius*) *pars* originem traxit. Ibidem quum II, 44, 2 apogr. Amerb. *praedixi*, ed. pr. *praediximus* exhibeat, discrepantiam scripturae ex errore librarii Murbacensis libri explicaverim, qui *praedixim* pro *praedixim9* mihi videtur scripsisse.

23. lectio Medicei libri *ut eo terrore commeati galliam adventantes interciperentur* pro vulgata *ut eo t. commeatus Gallia adventantes interciperent* ex compendiaria scribendi ratione originem videtur cepisse, nisi quod inde malim coniicere: *u. e. t. commeatus Gallia adventantes interciperentur*. Ceterum forma passiva etiam Bachio placuit [142]. Ita etiam evenit, ut librarius Medicei libri A. XV, 66. *Fenius* pro *Fenio*, H. I, 48. extr. *calido* pro *callidus* scriberet, sicut A.C. ed. Spir. H. II, 46. *promptissimus Plotius Firmus* pro vulgata *promptissimo Plotio Firmo* exhibent. [142a]

His exemplis corruptelas subiungemus ex compendiis singulorum verborum natas; et primum quidem praepositiones *per* et *prae*, utpote compendiose exaratae, cum saepe in aliis codicibus Mstis [143] tum aliquoties in Ma. confusae sunt. Sic A. XII, 47.

142) Fr. Jacobus l. l. II. p. 30. *commeatus in Galliam adventantes interciperentur* ex scriptura Medicei libri eliciendum censuit, tanquam commeatus aliunde, e Britannia scilicet vel Hispania vel Africa, in Galliam adventantes Rheno subveherentur. Verum literarum ductus magis auguratus ex vestigiis membranae, quam sententiam Taciti assecutus esse mihi videtur vir doctissimus. Ratio enim poscit, ut commeatus ex Gallicis maritimis civitatibus Romano exercitui navibus supportari itaque Rheno subvehi dicantur: quippe tale iter frumento atque utensilibus vehendis et facillimum est et celerrimum.

142a) Sic Juven. I, 67 lectionem codd. et edd. vett. *signator falso* Rupertius mihi videtur recte mutasse in *s. falsus* coll. Sall. Cat. 16; quamvis Matthias in Obss. in Juv. Sat. I. p. 7 not. 22 vulgatam explicatione tueri nuper studuerit.

143) Cf. Drakenb. ad Liv. IX, 10, 7. E ceteris codicibus Tacitinis frequentissima eiusmodi confusionis exempla collegit Walther ad Ann. XII, 47 et passim in indice annotatt. Cic. Epp. ad Fam. X, 9, 1 libri scripti et editi fluctuant inter *pervidere* et *praevidere*. Cic. Orat. 11, 36. cod. Einsiedlensis *per scriptum* pro vulgato *praescriptum* habet, et Mart. XIII, 66, 1. libri familiae C,a. inter *perduro dente* et *praeduro d.* fluctuant, quae varietas ab archetypi eius familiae scriptura *perturo* pro vulgato *periuro*, quod R. et codices familiae B. tuentur, originem videtur cepisse. Vell. II, 112, 6 in apogr. Amerb. est *praerupta eorum acie* pro vulg. *perrupta e. a.* Nec librarii tantum, sed critici etiam de his siglis interpretandis discreparunt, quo factum est, ut Ann. XI, 20, ubi recentiores editores inde ab Ernestio ex G. et ed. pr. *fossam perduxit* pro

perstringere, A. XIV, 54. *perstringor*, H. I, 84. *perstringimus* pro verbo *praestringere* in codicibus et edd. vett. reperitur: cfr. de vi atque usu verbi *praestringere* Drakenborch. ad Liv. XL, 58, 4. et ad Sil. Ital. I, 358., Oudendorp. ad Suet. Oct. 29. et Lucan. I, 154, Heindorf. ad Cic. de N. D. III, 29. p. 357., Delrium et Lindemannum ad Plaut. Mil. gl. I, 1, 4. Item quum A. XIV, 57. extr. Ma. t. Furia *prelatum caput eius* (Pichena prodidit *praelatum*) exhibent, *perlatum*, quod cod. A., haud dubie ex emendatione librarii, praebet, cum Pichena, Doederlino, Bezzenbergero scribere malim, quam vulgatum *relatum* cum ceteris editoribus retinere. Cfr. locutionem *mandata perferre*, quae A. I, 23. 26. 57. legitur. H. II, 59. extr.: *Perlatum* (scil. *filium*) *et paludamento opertum Germanicum appellavit.* Germ. 45.: *Rude legitur, informe perfertur* (scil. *succinum*); ubi codd. Perizon. Vat. 2964. Stuttg. edd. Norimb. Rom. *profertur* habent.

Dein *per* et *pro* praepositiones propter siglarum similitudinem[144]) ut frequenter in aliis codicibus [145]), ita nonnunquam in Ma. inter

vulgata antea lectione *f. produxit* rescripserunt, siglam, qua praepositio in Ma. exarata est, *prae* significare Jac. Gronovius, *per* Furia putaret. Et sane nota *p̃* tum *prae* tum *per* scribi aiunt Benedictini l. l. p. 542. Itaque in specimine codicis saeculo septimo scripti a Benedictinis p. 545 edito verbum *peracto* exaratur *pacto*, quum tamen vulgo *p̄* compendium sit praepositionis *prae*. Cf. Benedictin. l. l. p. 548. Ceterum siglam *p̄* etiam syllabam *pri* significare docent iidem p. 542; v. etiam supra not. 135.

144) Quamquam plerumque *ꝑ* praepositionem *per*, *ꝓ* vel *ꝓ* *pro* significat, tamen hae siglae in libris minus nitide ac distincte scriptis difficulter discernuntur. Cfr. varias formas siglae praepositionis *pro* ap. Benedictt. tab. 60 aere incisas cum compendio *ꝑ* quod in specimine antiquissimi codicis breviarii a Benedictt. p. 449 et tab. 60 edito *per* significat. Quin etiam verbum *properemus* scriptum est *ꝓperemus* in diplomate Chilperici I. a. 583 scripto, quod Benedictt. p. 646 et tab. 66 ediderunt.

145) Cf. Drakenb. ad Liv. IX, 10, 7 et XXVII, 8, 18; Cort. ad Sall. Cat. XII, 5. Exempla huius confusionis in ceteris codd. Tacitinis reperta vide in annot. Waltheri ad Ann. XI, 8 et passim in indice. Cic. Orat. 18, 58 cod. Einsiedlensis habet *prosequendae suavitatis* pro *persequendae s.*, et 28, 102 *ornandi copiam prosecuti sumus* pro *o. c. persecuti s.* Cic. de opt. gen. or. 2, 4 vetustissima ed.

se permutatae sunt. A. XII, 17. in Ms. *prorumperentur* legitur pro vulgata ex emendatione Rhenani scriptura *perrumperentur*. A. XIII, 29. idem liber et B. a pr. m. *iis . . . . extra ordinem honores promisit* exhibet pro *permisit* [146]), quae est scriptura codicum B. (a sec. m.) G.H.O.Oa. et edd. vett. ab Ernestio, Oberlino, Broterio, Bipontinis, Walthero, Rupertio revocata et sensu ipso vel maxime commendata. Quippe propter insequentia verba honores non promissi tantum, sed revera dati mandatique esse narrentur necesse est. Huc referam etiam perpetuam particularum *perinde* et *proinde* confusionem, qua cum in aliis libris Mstis (cf. praeter vv. dd. ab Haasio not. 416. ad Reisig. Gr. Lat. §. 244, a Kühnero ad Cic. Tusc. I, 36, 86. ed. alt. et a Walthero Rupertioque ad Tac. Ann. III, 17. commemoratos Goeschen. ed. Gaii sec. Praef. p. XXXXIII. not. 27.) tum in Mediceis (cf. Bach. in Jahnii Nov. Ann. Philol. XI, 1. p. 26. et ad Tac. Ann. XII, 40.) sermo latinus inquinatus est: quam rem, quippe quae adhuc in controversia versetur, tetigisse tantum h. l. satis habeo, quamquam equidem sententiae ab Ellendtio in Diurnis liter. Halens. a. 1836. p. 470. et a Zumptio ad Cic. Verr. I, 38. §. 98. datae cum Haasio assentior; cujus videas annotationem 416. p. 428. ad Reisigii Gramm. Lat. ascriptam.

Siglae ꝑ lineola transversa H. IV, 53. neglecta erat a li-

Vitebergensis exhibet *verborum . . . . elegantiam prosequamur* pro *persequamur*. Exempla ex vett. libris Velleianis collegit Kritzius Prolegg. p. XCVII. Praeterea Vell. II, 105, 3 *anni eius aestiva usque in mensem Decembrem producta* pro vulgata vett. librorum scriptura *perducta* legendum esse idem cum Lipsio et Heinsio censuit, in rationem, qua illa verba inter se differant, subtiliter inquirens. Item Frontonis Epist. ad M. Caesarem I, 2, 7 p. 24 ed. Niebuhr. pro codicis scriptura *sive prodormias, sive pervigiles* recte coniecisse *perdormias* Heindorfius mihi videtur, nisi quod nescio an literis *sc* insertis *perdormiscas* corrigendum dicam, quippe quum verbi *perdormire* nullum mihi quidem notum sit exemplum, forma *perdormiscere* vero Plautus Men. V, 5, 29 usus sit. Plautini autem sermonis amatorem simul et antiquarum locutionum imitatorem ex illius saeculi more Frontonem fuisse constat.

146) Eodem mendo Martial. I, 62, 3 codex Oudendorpii a Schneidewino litera *d* signatus *promittit* pro vulgato *permittit* exhibet.

brario archetypi, quo factum est, ut in vett. libris et scriptis et editis praeter C., in quo *perlueret* est, *pluere* aut *plueret* pro vulgata ex emendatione Rhenani scriptura *perluere* scriberetur.

Tum *prae* et *pro* praepositiones, ut sexcenties in aliis codicibus [147]), ita in Mediceis interdum sunt permutatae. Sic M. A. III, 5. *praepositam toro effigiem* pro vulgata inde ab Oberlino lectione *propositam t. e.* exhibet, et VI, 11. init. *praefectis . . . regibus* pro *profectis . . . regibus.* In Ma. H. IV, 15. *providissent* pro *praevidissent*, et V, 17. teste Victorio *p̃uise* i. e. *praevisae* vel *previsae*, teste Ryckio ex collatione Jac. Gronovii *previse* pro codicis A. scriptura *provisa* legitur [148]); *provisa* e sententia Rhenani, Pichenae atque Ryckii Lallemandus, Broterius, Bipontini, Walther, Bekker, Ritter, Rupertius, Kiesslingius in textum receperunt, id quod equidem probaverim, nisi quod dubito, an in forma *provisae* potius *provisa ee* i. e. *provisa esse* lateat. Verbum substantivum enim sigla *ee* significatur (v. c. in Cassellano codice Servii; cf. etiam Benedictt. l. l. tab. 60. et p. 539. not. 1. atque Od. Mueller. Praef. ed. Varron. p. XXV. extr.); ex quo intelligitur, qui factum sit, ut Varr. de L. L. V. §. 177. p. 69. ed. Muell. in codice Parisino primo *eae*, in secundo *et*, in Gothano *hae* pro cett. codd. scriptura *esse* reperitur. Eodem discrepantiam scripturae, quae ibid. §. 155. p. 60. extat, pertinere scite annotavit Mueller Praef. l. l. Florentinus enim et secundus Parisinus codex *causae* i. e. *c̄e* (cfr. Benedictt. l. l. p. 539.), Gothanus *ēe*, Hauniensis *esse* exhibet. Ceterum vix est, quod memorem lectionem

---

147) Cf. Drakenb. ad Liv. IX, 10, 7. E ceteris codicibus Tacitinis exempla attulit Walther ad Ann. XI, 37 et XIV, 32 et passim in indice annotatt. Cic. Orat. 41, 146 MS. Einsiedl. pro vulgato *prae me tuli* habet *pro me tuli.* Quin etiam viri docti de his siglis interpretandis inter se discrepant, ut Ann. XI, 7 ex compendio *p̃viderit,* quod in Ma. teste J. Gronovio extat, Pichena *praeviderit*, rectius vero J. Gronovius et Victorius *providerit* extricaverint, ac vicissim Hist. V, 17 compendium *p̃uise* Pichena *prouise*, J. Gronovius *previse* interpretatus sit.

148) De frequentissima horum verborum permutatione eorumque discrimine cfr. Drakenb. ad Sil. XVII, 56.; Oudendorp. ad Suet. Aug. 10. Tib. 14; Walther. ad Tac. Ann. XI, 7.

causae ex genuina primi Parisini libri scriptura *causa* propter insequentem formam *curiae* depravatam esse. Vide quae supra p. 15. sqq. de primo vitiorum genere, quaeque p. 20. sqq. de altero disserui. Sed ad Tacitum redeo. Locis ex M. supra p. 160. allatis, quibus *prae* pro *pro* scriptum fuit, addo tertium ex A. II, 14. Ibi enim pro vulgata codicis scriptura *quae sapientia* *praevisa aptaque imminenti pugnae disserit* substituendam Gronovii emendationem *q. s. provisa aptaque* sqq. cum Ryckio, Heinsio, Ernestio censeo. Boni enim imperatoris erat in contione dicere, se non animadvertisse tantum futura, sed in futurum consuluisse quaeque usui forent apparasse, quo militibus animos adderet aut fiduciam augeret. Falsa autem est Wopkensii sententia, quam Wolfius aliique viri docti acceperunt, in tota Germanici oratione nullum esse verbum, quo commoda atque opportunitates ad futuram pugnam a se comparata memoret. Nonne in silvis et saltibus, si ratio adsit, Romano militi quam barbaris ad pugnam melioribus, locum ad proelium sumptum esse dicit? an sapientis imperatoris non est providere, quae hostibus importuna, suis in melius sint? Utque ea, quae usui forent, se apparasse docet, ita quae proelio cum barbaris committendo apta sint praecipit, ut ictus densarent, ora foderent. Ita in simillima re verbo *providere* usus est Tacitus infra A. IV, 25. *cuncta proelio provisa* et H. V, 17. *quae providerі astu ducis oportuerit, provisa: campos madentes et ipsis gnaros: paludes hostibus noxias.* De vi atque usu hujus verbi cf. Walther. ad A. XI, 7. p. 15; Kritz. ad Sall. Jug. 99, 2. p. 529. sq.; Dietsch. ad Sall. Jug. 90, 1. p. 524. Simul reputes, quoniam particula *que* locum habeat potissimum, ubi duo praedicata necessitudine quadam contineantur atque eidem generali notioni subiecta sint, (vid. Kritz. ad Sall. Jug. 70, 2. et Grysar. Art. lat. scrib. p. 499. ed. pr.) verbo *praevisa* insequens *apta* minus apte quam verbo *provisa* annecti, praesertim quum dativus *imminenti pugnae* propter ipsam illam vim particulae *que* non solum ad verbum *apta*, sed etiam ad alterum referendus esse videatur, atqui non *praevidere*, sed *providere* dativo iungi soleat. Cfr. locum ex Ann. modo allatum, Sall. Jug. 49, 2. *omnia suis provisa*, Cic. de N. D. I, 2, 4. *ab iisdem* (scil. *deis*) *vitae hominum consuli et provideri*.

Praepositio *post* compendio *p*⁹ vel *p*' in libris Mstis significatur [149]), quo factum est, ut A. IV, 47. librarius genuinam scripturam *Sabinus* . . . . *postquam Pomponius Labeo* . . . . *rex Rhoemetalces* . . . . *venere* . . . . *ad hostem pergit*, quam ex Jac. Gronovii emendatione Broterius, Kiesslingius, Walther, Bekker aliique editores Tacito reddiderunt, perpetua literarum *e* et *i* confusione [150]) ita corrumperet, ut scriberet: *Sabinus* . . . *quam Pomponius Labeo* . . . . *rex Rhoemetalces* . . . *venire* . . . *ad hostem pergit.* Sed cfr. simillimam verborum constructionem A. XIV, 37. init. Similiter in Ma. H. III, 7. init. pro vulgata *post principia* legitur teste Pichena *p'rincipia*; quam scripturam iam in archetypo extitisse inde colligo, quod in B.O. *post* deest, G. edd. vett. vulgatam retineat. Idemque compendium aliis quoque locis ab archetypi librario exaratum fuisse docet discrepantia codicum A. XI, 19. s. vv. *post rebellionem* et A. XIV, 56. pr. s. v. *postponis.*

Particula negativa *nec* sigla *n*ᶜ scripta (vid. Benedictt. l. l. p. 540.) cum coniunctione *ne* ut in aliis codd. [151]), ita in Ma. A. XIV, 53. permutata est.

Deinde quum particula *inde* compendio *ĩn* a librariis scriberetur [152]), facile potuit fieri, ut tum *ĩn* in praepositionem aut

---

149) Hoc compendium iam in Gaii codice rescripto atque in aliis antiquis libris Mstis reperitur: cfr. Goeschen. Indic. siglarum ed. alt. Gaii p. 465. 508. et Benedictt. l. l. p. 544. et tab. 60. Item in Ma. teste Pichena ad Tac. H. III, 7. init. *post* sigla *p*' saepissime scribitur: adde Jac. Gronovii annotat. ad A. XIV, 56. init.

150) Vide quae supra p. 108. sqq. de duodecimo vitiorum genere diximus, quaeque Bekker ad Ernestii praef. annotavit p. XV. ed. suae.

151) A. XIV, 54. G. *ne me* pro *nec me*, A. XV, 13. edd. Put. Ber. Alc. *ne aliud* pro *nec aliud* exhibent. Item Vell. I, 17, 2. et II, 124, 1. in apographo Amerb. *ne* pro *nec*, contra Vell. II, 67, 1. in codice Murb. teste Burerio et in apogr. Amerb. *nec* pro *ne* scriptum est. Eodem pertinere videtur perpetua in codd. et edd. vett. confusio particularum *ne — quidem* et *nec — quidem*; qua de re cfr. praeter Haasium ad Reisigii Gramm. Lat. not. 497. p. 590. sq. et viros doctos ibi memoratos Madvigium Exc. III. ad Cic. de Fin. II, 8, 25. et novissimum Sallustii editorem Dietschium ad Sall. Iug. 98, 4. Exempla ejus confusionis ex Taciti codicibus collegit Walther in indice annotatt. Vol. IV. p. 455.

152) Sic H. I, 11. in G. scriptum est. Cf. etiam Benedictt. l. l. p. 540.

in praefixum *in* corrumperetur [153]), tum *in* insequente aut *in* aut *in* omitteretur [154]). Sic in Ms. scriptum est H. I, 84, *in hostes* pro vulgato *inde hostes*, H. II, 84: *haud perin* pro *haud perinde*. Idem liber A. XII, 32 exhibet *ductus* *inde* *Cangos exercitus* pro genuina scriptura *ductus* *inde in* (i. e. *in in*) *Cangos exercitus*, quam Pichenae coniectura restituit, Oberlinus, Walther, Ritter, Doederlinus in textum receperunt; cf. quae supra p. 51. dixi.

Particula *quia*, utpote compendio *qa* vel *qa* scripta (vid. infra p. 173 not. 169), cum in aliis vett. libris scriptis et editis [155]) tum in Mediceis cum *q'*, quae est sigla formae *qua* pronominis relativi, nonnunquam est confusa. Ita A. III, 54. pro vulg. *quia unius urbis cives eramus* M. habet *qua* sqq. Igitur A. VI, 10. init. pro vulgata codicis scriptura *qua occupandae rei publicae argui non poterant, ob lacrimas incusabantur* cum Mureto potius *quia* sqq., quam cum Kiesslingio et Haasio ad Reisig. Gramm. Lat. §. 270. p. 465. *quando* sqq. substituendum haud cunctanter censeo. Nullus enim mihi quidem notus est codex, in quo particula *quando* compendio *qua* scripta sit, et usus particulae *quia* h. l. nihil habet offensionis. Cfr. locum huic simillimum A. XV, 55: *Quia cetera palam vana obiecisset, adiungere crimen, cuius sese pariter indicem et testem faceret.* Ita enim scripturam Medicei libri *crimen l; sisse pariter* emendandam esse et sensus et verborum structura docet. Praeivit maximam partem Acidalius, cuius

153) Recte igitur Vell. II, 22, 5 ex scriptura ed. pr. et apogr. Amerb. *innocens* Burmannus elicuit *inde nocens*, idque probavit Kritzius coll. Drakenb. ad Liv. X, 20, 6 et Hand. Tursell. T. III. p. 371.

154) Librarios tum *inde* tum *in* pro *inde in* dedisse, annotavit Ernestius ad Ann. XII, 32 pr. coll. Burmann. ad Suet. Caes. 35 et ad Vespas. 5.

155) *Qua* et *quia* a librariis saepe inter se permutata esse multis exemplis docuit Drakenb. ad. Liv. XL, 29, 8. Ed. Spir. Ann. XII, 64 *qua Lepida* pro *quia Lepida* ac vicissim Hist. IV, 79 *quia Oceano ambiuntur* pro *qua O. a.* exhibet. Item in libris Mstis Varr. de L. L. VI, 41 p. 88 ed. Muell. et in Cassellano codice comment. Servii ad Aen. II, 592. *quia* pro vulgato *qua* scriptum est. Vell. II, 37, 2 ed. pr. et apogr. Amerb. *quia* habent pro *qua*, quod ex emendatione Gruteri vulgatur. Cf. etiam de similitudine compendiorum utriusque vocabuli Goeschen. Ind. siglarum p. 478 et 480.

coniecturam *crimen cuius se pariter* probarunt Gronovii et Broterius. Syllaba *cu* omissa aut obliterata *iussese* facillime mutabatur in *liusisse* i. e. *lysisse*. Cfr. quae supra p. 156 sq. de compendio syllabae *us*, quaeque p. 112 sqq. de perpetua literarum *i* et *l* confusione diximus. Ceterum ipsum illud *iussisse* servarunt C.R., nec procul abest lectio B. *vixisse*. De omissa syllaba *cu* vide, quae p. 59 sqq. de octavo vitiorum genere disputavimus. Sed redeo ad locum A. VI, 10. Multo autem aegrius acceperim sententiam Heinsii et Waltheri, quibus, quum *qua* pro *quatenus* dictum opinati sint, etiam Haasius l. l. oblocutus est. Nam potestas praedicatum aliquod restringendi, quam habet ablativus *qua* (vid. Kritz. ad Vell. II, 37, 2. p. 228.), huic loco non est apta. Magis etiam a vero videtur aberrasse Doederlinus, qui ad h. l. et ad A. XI, 7. *qua* perinde quam *quatenus* pro *quoniam* dictum affirmavit: quem ablativi *qua* usum vellem exemplis probasset. Ii enim loci, quos ad formam *qua* tuendam attulit, et ipsi in Mediceo libro sunt corrupti. Nam A. XI, 7. auctore Freinshemio recte vulgatur ex emendatione Pichenae et J. Fr. Gronovii *cogitaret plebem*, *quae toga enitesceret* pro lectione Medicei libri *c. p.*, *qua toga e.*, quam ex insequenti ablativi forma *toga* ortam esse supra p. 16 ad primum vitiorum genus demonstravi. A. XV, 72. (non A. XV, 12., ut Doederlinus scripsit) vulgatam cod. G. et edd. vett. lectionem *de quo, quia nunc primum oblatus est, pauca repetam* ex Ma. in *qua* mutandam esse nemini persuadebitur. Denique H. II, 31. in verbis *Suetonius Paullinus dignum fama sua ratus, qua nemo illa tempestate militaris rei callidior habebatur, de toto genere belli censere* sqq. *qua* est ablativus pronominis relativi, qui ad verbum *fama* referatur, sive eum cum Reisigio Gramm. Lat. §. 391. p. 701. et Madvigio Gramm. Lat §. 255. ablativum causae moventis, sive cum Ramshornio Gramm. Lat. §. 145. p. 443. ed. II. ablativum condicionis dicas. Simile ejus usus extat exemplum A. XIV, 11. pr. *Agerinum luisse eam poenam conscientia, qua scelus paravisset.* Cfr. praeterea Cic. de Orat. III, 16, 59. Nep. Alcib. 11, 4. Liv. XL, 29: *vulgatae opinioni, qua creditur* sqq. — In Ma. reperitur *qua* pro *quia* loco ex A. XV, 72. modo descripto. Praeterea huc referas ex Hist. IV, 73. init. scripturam eius codicis *sed quae apud vos verba plurimum valent* sqq., quam ex

lectione archetypi familiae Romanae, in quo *qua* aut *qa* pro vulgato *quia* scriptum fuerit, ortam esse puto, praesertim quum substantivum pluralis numeri *verba* insequatur. Vide quae supra p. 20. sqq. de secundo vitiorum genere dixi.

Particula *quam* propter compendium q̄ vel q̃ [156]) facile potuit a librariis omitti [157]). Ita evenit, ut in M. A. VI, 2. *tam* pro *tamquam* scriberetur. Idem codex A. I, 13. atque alter Mediceus XIV, 36. pr. XVI, 19. *quam* pro *quamq̄* i. e. *quamquam* exhibet. Quod quum ita sit, A. II, 77. e verbis codicis: *si quid hostile ingruat, quem iustius arma oppositurum, qui legati auctoritatem et propria mandata acceperit?* particulam *quam* ante *qui* excidisse editor quidam Taciti Pichena antiquior et e recentioribus Kiesslingius facile mihi persuaserunt. Quodsi *quam* orationi inserueris, optime et sensui et structurae consules: immo vero usus loquendi et sermonis elegantia eam emendationem poscunt. Cfr. quae cap. extr. leguntur: *Periisse Germanicum nulli iactantius maerent, quam qui maxime laetantur.* Adde A. III, 18. extr. *Quippe fama, spe, veneratione potius omnes destinabantur imperio, quam quem futurum principem fortuna in occulto tenebat*; Dial. de Oratt. 16. init. *Quis eam* (scil. *quaestionem*) *iustius explicabit, quam tu, ad cuius summam eruditionem* sqq.

---

156) Alteram illam siglam ex antiquissimis libris Mstis attulerunt Benedictini l. l. tab. 60, alteram, qua plerumque illa particula significatur, repperit in Ms. Victorius A. XV, 62. extr. Similiter particula *quamquam* in G. H. IV, 63. *quanq̄*, A. XIV, 36. pr. q̃q̄ est scripta. Ab hoc compendio vel ab alio huiusmodi corrupta editionis principis et apographi Amerb. scriptura Vell. II, 44, 1. originem cepit. Ibi enim legitur *diverso quoque tempore* pro *diverso quamquam tempore*, quae est certissima Heinsii coniectura a Kritzio firmissimis argumentis probata.

157) Cic. Epp. ad Fam. IX, 2, 5. e verbis *ploratum potius quam natatum* excidit in cod. Med. particula *quam*. Vell. II, 115, 5. Amerbachius in verbis *ante conscientiae quam famae consultum* omisit *quam*; idemque I, 15, 3. *quam* scripsit pro *quamquam*. Tac. Germ. 38. init. codex Perizon. et ed. Norimb. *quam* pro vulgato *quamquam* exhibent; in illo tamen Pontanus, incertum an ex coniectura, superscripsit *vis*, ut *quamvis* legeretur. E contrario H. IV, 63. in G. est *quanq̄* pro vulg. *quam*.

Reliqui omnes infeliciter rem tentasse mihi videntur, sive codicis scripturam anxie retinuerunt et *Pisone* vel *eo* subaudierunt, sive *eo* ante *oppositurum* vel ante *qui* inseri voluerunt, sive *quam* in *quem* mutarunt.

Particula *quoque* compendio *quoq.* vel *qq.* vel *q° ȝ* scripta [158] variis corruptelis ut in aliis codicibus, ita in Mediceis locum dedit. A. I, 76. extr. M. exhibet *quod* pro vulgato *quoque* (*quoq.*), litera *q* cum *d* permutata [159]. Saepissime autem *quoque* et *que* a librariis confusa esse constat. Sic A. II, 43. editio Ber. ex Mediceo — ut videtur — libro scripsit *uxorisque* pro vulgata ex emendatione Rhenani lectione *uxoris quoque*. Contra A. XIII, 37. in Ma. et ceteris codicibus *huc quoque et illuc volitans* extat pro *hucque* sqq., quod recentiores editores praeter Bachium ex Lipsii emendatione rescripserunt [160].

---

158) Cf. Benedict. l. l. tab. 60. Walth. Praef. ed. Tac. Vol. I. p. XX. Goeschen. Ind. sigl. p. 481.

159) Earum literarum confusio in aliis quoque codicibus reperitur. Namque H. II, 23. scriptura codicis Ma. *omnia quocu²* (i. e. *quocum*) *facta* inde orta est, quod in archetypo *omnia qucum facta* scriptum fuerat pro *omnia ducum facta*, quam genuinam scripturam felicissimae coniecturae Freinshemii debemus. Item Vell. II, 127, 1. Amerbachius *dominus* scripsit pro vulgata ex ed. pr. lectione *quominus* (*q°minus*). Ibid. c. 25, 2. ex discrepantia veterum librorum coniecerim in codice Murb. ita fere scriptum fuisse *deniqe* (superscr. *dein*), ut ambiguum esset, utrum *deniqe* (i. e. *denique*), an *deinde*, an *dein* legi deberet. Quo factum est, ut Amerbachius primo *dein denique* scriberet, tum *dein* deleret, Burerius vulgatum *deinde* in codice invenisse sibi videretur, Rhenanus in ed. pr. *denique* reciperet. Sunt enim complura indicia, quae mihi persuaserint, syllabas et vocabula corrigendi emendandive causa, vel quia librarius incertus erat, quid ex archetypi haud dubie depravati vestigiis eliciendum esset, in codice Murbacensi versibus superscripta fuisse. Exempla huius rei, quam Kritzius, editor cetera egregius et de recensendis Velleiani operis corruptelis optime meritus, iusto minus respexit, ne longus sim, alio loco recensebo. Cfr. interim infra not. 170. Equidem ordinem seriemque rerum et sententiarum reputans, de illo loco Laurentio assentior, qui in Jahnii Nov. Ann. Phil. et Paed. Suppl. Vol. VI, 1. p. 16. particulam *denique* revocandam censuit.

160) Sic A. XIII, 37. veteres libri et scripti et editi praeter Mediceum exhibent *tunc quoque* pro vulgato *tuncque*.

Suffixum *que* et copula *que*, antiquissimis iam in codicibus sigla *Q.* vel *q.* vel *q:* scripta [161]), facile tum cum aliis compendiis commutari, tum omitti potuerunt. Ita evenit, ut A. I, 57. librarius, quippe qui compendium *q.* cum 9, quam syllabae *con* siglam esse supra docui in not. 128 p. 146, confudisset [162]), genuinam scripturam a Lipsio revocatam *rebusque motis* in lectionem *rebus commotis* corrumperet. Bene enim Walther animadvertit res motas, homines commotos dici.

Omisso suffixo *que* librarius Mediceus A. III, 14. init. *pessimo cui* pro *p. cuique*, A. IV, 25. *si quis* pro *se quisque*, A. VI, 45. *pro ingenio cuius* pro *p. i. cuiusque* scripsit [163]).

Jam ad omissionem copulae *que* accedimus; quae quaestio

---

161) Cfr. fragmenta codicis Virgiliani Sangallensia saeculo quarto vel quinto literis uncialibus scripta, ex quibus varietatem lectionis excerpsit Orellius p. LXIV. sqq. epistolae criticae ad Madvigium, quam Ciceronis Oratori et Bruto a. 1830. seorsum editis praemisit. Vid. etiam Goeschen. Ind. siglarum p. 473 — 475. 508.

162) Idem mendum sustulit Odofr. Mueller ad Varr. de L. L. IV, 79. p. 104, ubi pro scriptura codd. *ab his conquaestor* substituit *ab hisque Quaestor.*

163) Similiter ex omisso suffixo *que* apud Cic. de opt. gen. oratt. 1. init. discrepantia codicum et edd. veterum orta est. Proxime enim ad genuinam lectionem auctore Manutio ab Orellio restitutam *suum cuiusque* (scil. *genus*) *est diversum a reliquis* accedit scriptura optimi codicis Sangallensis saeculo undecimo scripti *suum quoius est*, editionis Vitebergensis *suumque ius est*, Norimbergensis *suum quo cuiusque est*, unde simul patet, in archetypo ipso potius formam *quoiusque*, quam Orellianam *cuiusque* extitisse, eoque falsum esse Schneidewinum, qui in Praef. ed. Martial. p. X. formas *quoius*, *quoi* similesque recentissimorum librariorum delicias dicit, nisi haec sententia de solius Martialis codd. Mstis accipienda est. Eadem illa forma *quoius* legitur in Mediceo cod. Epp. Cic. ad Fam. saec. XI. scripto, e. gr. VIII, 14, 1. 16, 2. 17, 1. Nec *quoi* in eodem cod. non reperitur, ut VIII, 12, 2; quod quum iam in archetypo, ex quo Med. codex descriptus est, legeretur, factum est, ut librarius Mediceus III, 13, 2. *quo* pro *cui* et VIII, 2, 1. *quovis* pro *cuivis* exararet. — Item ap. Vell. II, 104, 3. Amerbachius *quisquam* pro *quisque quam*, et II, 34, 3. librarius Murbacensis et Amerbachius *utrius ordinis* pro *utriusque ordinis* scripserunt.

iuste explicari nequit, nisi universe in frequentem in Mediceis libris omissionem particularum copulativarum inquiritur. Et primum quidem opus est auctoritati obnitamur Bachii et Doederlini, quorum ille ad A. XI, 5., hic in Praef. p. XII. oscitantiam et negligentiam librariorum in consilium et artem scriptoris vertentes iustum asyndeti studium Tacito vindicasse sibi visi sunt. Quippe celebri breviloquentia Tacitina perverse abusi, absurdas minutias in elegantissimum florentissimumque rerum Romanarum auctorem quamquam inviti transtulerunt. Quodetsi in nonnullis locorum a Doederlino congestorum asyndeton ferri potest, plures tamen sunt, quibus vulgo editores copulam bene addiderint, quamquam facile concesseris, emendatores illos, quibus vulgata lectio copulam debeat, in eligenda ea, quae vestigiis Mediceorum codicum maxime conveniat, particula copulativa interdum a vero aberasse. Recenseamus igitur et recognoscamus singulos locos, quibus copulam vulgo additam aut bene aut male omiserunt librarii Mediceorum codicum. Igitur A. VI, 37. extr. scribendum censeo: *Vitellius . . . monet Tiridaten primoresque, hunc, Phraatis avi, altoris Caesaris, quaeque utrobique pulchra, meminerit, illos, obsequium in regem, reverentiam in nos, decus quisque suum et fidem retinerent.* Omisi enim copulam *et* e coniectura Rhenani ante *altoris* vulgo insertam, pro qua codex et ed. Ber. particulam *ut* habent eamque haud dubie ex correctione aut interpretatione scioli cuiusdam lectoris, qui eam propter verbum monendi in margine vel super versum archetypi adscripserat, unde postea in textum verborum irrepsit. De removenda copula, cuius defectus in iungendis tribus praedicatis nihil habet offensionis et asyndeto alterius membri respondet, mecum consentientem habeo Doederlinum, qui tamen coniunctione *ut* transposita ita corrigi vult: *Vitellius . . . . monet . . . . hunc, ut Phraatis avi, altoris Caesaris, quae utrobique pulchra, meminerit* sqq.: sed ipse locus, quo a librario *ut* positum est, et neglecta membrorum concinnitas glossematis suspicionem movent. Aequalis enim membrorum ratio monere videtur, ut coniunctio, si post *hunc* ponatur, rursus post *illos* repetatur, coll. A. IV, 38. *Proinde socios, cives et deos ipsos precor, hos, ut . . . . . illos, ut sqq.* De solo coniunctivo cum verbo monendi iuncto cfr. A. XIII, 9. pr. *Regem . . . . monebant, pacem quam bellum mal-*

let. Suet. Jul. 81. *Immolantem haruspex Spurinna monuit, caveret periculum.* E contrario copulativam particulam *que*, quae post relativum *quae* in Mediceo libro deest, auctore Neuio addidi; de qua emendatione ob perspicuitatem orationis necessaria cfr. quae in not. 31. p. 50. collegi exempla. Saepe autem copulam *que*, ubi pronomen relativum vel simile quid antecedit aut insequitur, a librariis omissam esse constat [164].

Reliqui loci, quibus asyndeton in Ma. repertum ferri potest, quamquam vulgo copula additur, hi sunt: A. XI, 5. *Cuius de potentia, [et] exitio in tempore memorabo.* A. XII, 19. *Populi Romani imperatoribus, magnarum[que] nationum regibus.* A. XII, 59. *Falsum accusatorem, indignas artes perpessus* [165]. A. XIII, 48. *Diversas* (scil. *legationes*) *ordo, plebs[que] ad senatum miserant;* ubi copula superscripta est incertum an recentiore manu. A. XIV, 60. *Domumque Burri, praedia Plauti infausta dona accipit*, ubi ante Bekkerum *et* post nomen Burri legebatur. His igitur locis asyndeton ideo recte se habere videtur, quod duo

---

164) Sic A. XII, 36. in Ma. deest *que* ante *quaeque*, itemque Sall. Jug. 27, 5. in aliquot codicibus, et Vell. II, 94, 4. in apographo Amerb. *que* ante *quae*. Cfr. Drakenb. ad Liv. XXIX, 6, 8; Kritz. ad Sall. Cat. 3, 5. et Jug. 27, 5; Halm. Emend. Vell. p. 6, ad quos a Kritzio in annotat. ad Vell. II, 29, 2. relegamur; quem tamen locum is parum feliciter tentavit, ut alias ostendemus. Hoc tantum memoro, inserto post particulam *sed* pronomine *quae* simplicissime et sensui et structurae consuli. Igitur censeo legendum: *Fuit hic genitus matre Lucilia, stirpis senatoriae, forma excellens, non ea, qua flos commendatur aetatis, sed quae ex dignitate constantiaque in illam conveniens amplitudinem fortunamque eum ad ultimum vitae comitata est diem.* Brevis aetatis flos et constans formae dignitas inter se opponuntur. Pronomen *quae* facile potuit excidere sive propter compendiariam scribendi rationem, de qua cfr. quae infra p. 174. sq. dicam, sive quod *quae* frequentissima vocalium *ae* et *e* permutatione ut saepe in Casellano codice Servii, ita h. l. in archetypo Velleiano in particulam *que*, cuius vis et usus ab h. l. certe aliena est, abierat.

165) Ita Seyffertum Emend. Tac. Fasc. I. p. 41. vulgatam lectionem *indignasque sordes* ex corrupta Medicei libri scriptura *indigna sortes* feliciter correxisse equidem puto, haud negavit Bezzenberger Emendatt. delect. p. 29.

praedicata aut gradatione quadam aut oppositione aut certe distinctione continuantur. Vide quae Kritzius ad Sall. Jug. 20, 8. p. 130. adque Cat. 43, 2. p. 199. et Bachius in Nov. Ann. Phil. et Paed. Vol. XI, 1. p. 31. disputarunt. De iis autem locis, quibus librarius codicis Ma. copulam inter duo nomina propria vulgo additam omisit, adhuc incertus sum, utrum recte an falso id factum esse iudicem. Copulae defectum probaverunt Handius Tursell. T. II. p. 473. et Doederlinus Praef. p. XII, improbaverunt Kritzius ad Sall. Cat. 43, 2. p. 199. et ad Vell. I, 4, 1. et Kreyssigius Praef. ed. Vell. p. XII. Frequentia enim exemplorum cum in aliis codicibus [166] tum in Mediceo repertorum animo obversatur, quanquam haud negaverim siglas copularum *que* atque *et* a librario in legendo dormitante, in scribendo festinante facile potuisse negligi. Loci Tacitini sunt hi: A. XI, 33. *A L. Vitellio [et] P. Largo Caecina*; A. XII, 2. *Britannicum [et] Octaviam*; A. XIII, 55. *Tiberio [et] Germanico*; H. I, 13. *T. Vinium [et] Cornelium Laconem*; H. II, 95. *Othonem Vitellium[que]*. Forsitan veteribus librariis Romanis mos fuerit omissa copula nomina propria continua s c r i b e r e, non item l e g e r e, sicut in numeris notandis, non perscribendis, copula non exarabatur, sed tamen legebatur. Et potuit ille mos inde originem capere, quod nomina consulum omissa copula coniungebantur. Ita certe et codicibus fides et grammaticae auctoritas servatur. Sed videbunt alii doctioresque, quanti opinio mea facienda sit.

E contrario vulgata lectio copulam contra Mediceorum codicum auctoritatem recte habet additam hisce locis: A. IV, 8. *foveret ac tolleret*, ubi codex *foveret attolleret* praebet literis *c* et *t*, ut saepe fit, confusis. C. 59. *Mare Amuclanum inter Fundanosque montes* [166a]. A. XII, 58. *Studiis honestis et elo-*

166) Copula inter duo nomina propria omissa est in veteribus Velleii libris I, 4, 1. 14, 7. II, 20, 2. 39, 1. Apud Cic. de opt. gen. oratt. 5, 14. optimus codex Sangallensis exhibet: *Orationes* . . . . *Aeschini. Demostheni* sqq. Orellius ex Hieronymo ad Pammachium Tom. IV. P. 2. p. 250. ed. Bened. atque ex Ciceronis edd. Viteb. Norimb. Ascens. inseruit *et* copulam, quum vulgo *que* addita fuerit. Cic. Brut. 26, 99. pleraeque editiones veteres, c. 36, 136. paucae copulam inter duo praenomina omittunt.

166a) Eodem redit sententia Bezzenbergeri, qui l. l. p. 25. copulam

quentiae gloria. A. XVI, 22. *Nunc te, Nero, et Thraseam avida discordiarum civitas loquitur.* H. II, 91. *Pari libertorum amicorumque socordia.* Item A. IV, 43. in verbis *quodsi vatum annalium ad testimonia vocentur, plures sibi ac locupletiores esse* omissionem copulae duriorem esse recte sensit Ernestius. Oppositionis enim aut distinctionis notio ab hoc loco prorsus est aliena, et paulo ante addita est copula verbis *annalium memoria vatumque carminibus*, quanquam ibi asyndeton tolerari potest, ut poetarum fabulae ab annalium fide ac veritate disiungantur. Itaque altero quoque loco opus est rescribatur *vatum annaliumque* vel *vatum aut annalium.* Denique H. III, 43. cum Ryckio et Walthero ex libris familiae Genuensis malim corrigere: *cum quattuor speculatoribus et tribus amicis totidemque centurionibus*, quam vulgatum asyndeton huic loco nequaquam aptum retinere [167]).

Aliud genus est eorum locorum, quibus, ut supra p. 168. diximus, omissionem quidem copulae non tolerandam, sed aliam particulam, quam quae vulgo additur, inserendam censeo. Ita A. I, 12. extr. *tanquam plus quam civilia agitaret et Pollionis .... ferociam retineret* pro vulgato *Pollionisque* ob exitum verbi praecedentis, quo copula *et* absorpta sit, legendum esse Doederlinus

---

et post *inter* omissam esse coniecit coll. A. VI, 33. extr. *mare inter et extremos Albanorum montes.* Vulgatum tuentur hi loci: H. IV, 77. *viam inter Mosellamque flumen*; H. V, 19. *insulam inter Germanosque.* Cfr. de sede praepositionis Bötticher. Lex. Tac. pag. 120.

167) In aliorum quoque scriptorum codicibus particulae copulativae supina librariorum negligentia omissae sunt. Sall. Jug. 37, 3. copula *que* post *magnis* in compluribus codd. deest. Jug. 97, 5. in verbis *equites peditesque* copulam retinere cum Gerlachio malo, quam cum Dietschio aliisque editoribus delere, quamvis copula in nonnullis codicibus plane omissa, in aliis *et* aut *ac* scriptum sit. Cfr. Jug. 7, 2. *equitum atque peditum auxilia*; c. 69, 2. *equites peditesque.* Apud Cic. de opt. gen. oratt. 5, 14. ex optimo codice Sang. et ex Hieronymi l. l. Orellius revocavit copulam *que*, quae in edd. vett. ante *contrarias* male excidit. Exempla copulae *que* in vett. Velleii libris omissae vide apud Kritz. Prolegg. p. CIX. Apud Tac. H. V, 17. pr. G. habet *Germanos Batavos[que].* Vell. II, 91, 4. in apogr. Amerb. ante *idem* deest *et*, quod Rhenanus in ed. pr. incertum an ex coniectura addidit.

acute vidit. Idem mendum sustulit apud Vell. II, 121, 1. Rhenanus, qui addita copula, quae in ed. pr. et apogr. Amerb. deest, rescripsit: *cum .... mollisset, et senatus .... amplexus esset*; itemque apud Plin. Epp. X, 85, 6. M. Hauptius particulam *et* a terminatione verbi proxime praecedentis *pertulisset* absorptam ante voc. *Archippus* restituit. A. XII, 35. cum Bezzenbergero (Emend. delect. p. 28.) censeo *praefectique et tribuni* pro vulgata *praefectique ac tribuni* substituendum, quippe quum copula in Ma. desit ultima praecedentis verbi litera et prima insequentis hausta. Cfr. quae supra p. 33. sqq. de quinto vitiorum genere dixi. Simile mendum sustulit idem criticus (l. l. p. 37.) A. XIV, 58., ubi particula *si* inter verba *insontes interficerentur* exciderat, et Walther A. XV, 13, ubi eadem particula exitu praecedentis verbi *vis* et initio insequentis *ingrueret* absorpta erat [168]). A. XII, 56. *Ripas et colles montiumque edita* pro vulgata scriptura *r. et colles ac montium edita* legendum coniicio. A. XIV, 51. *Flagitia adulteriaque; quippe* sqq. scribere malim, quam vulgatam copulam *et* retinere, quia sigla *q.* insequenti coniunctione *quippe* facillime potuit hauriri. A. XV, 55. conjecturam, quam olim excogitaveram, *et cetera, quae audierat coniectaveratve, docet* et asyndeto Medicei libri et vulgatae copulae *que* propter vim disiungendi, quae est illius particulae, praetulerim, quanquam asyndeton quam copulam ferre mallem.

Jam restat, ut de tribus locis a Doederlino Praef. p. XII. allatis dicam quod sentiam. Et de Ann. I, 57. quidem supra p. 167. disputavi, ac demonstravi asyndeton ex permutatione siglarum *q* et *9* ortum esse. Dein sententiam, quam de loco A. II, 8. concepi, alias exponam et argumentis firmabo. Hoc tantum moneo, ne copulam omissam putes, neve asyndeton statuas. Denique A. IV, 26. recte vulgatur *missusque*, quippe quum copulam in codice deesse Doederlinus falso testatus sit.

Pronominis relativi masculina forma, quippe quae antiquissi-

168) Cf. quae supra p. 36. sq. dixi. Simile mendum correxerunt Rhenanus Vell. II, 37, 4, ubi *ei* inter *neque* et *inhoneste* exciderat, Gelenius Vell. II, 51, 1, ubi *et* ultima copulae *que* litera et prima vocis *tetrarcharum* absorptum erat, et c. 91, 1, ubi ed. pr. et apogr. Amerb. *Crasso presso* pro vulgato *Crasso oppresso* exhibent.

mis iam in codicibus [169]) compendio ꝗ significaretur, facile aut cum simili aliqua sigla confundi aut plane omitti potuit [170]). Quo

169) Siglam ꝗ compluries repperi in Servii codice Cassellano, quem Jacobus Grimmius, vir summus, in catalogo codicum bibliothecae Cassellanae manu scripto saeculo nono adiudicat. Ita factum est, ut ille librarius in comment. ad Virg. Aen. II, 566. haec verba scriberet: *post hunc versum hi versus fuerunt* ꝗ *tucca et varius obliti sunt*; unde Bergkius, felicissimus emendator, qui etiam de Servio optime mereri nuper coepit, genuinam scripturam *p. h. v. h. v. f. qui a Tucca et Vario sublati sunt* pro vulgata *p. h. v. h. v. f. quos Tucca et Varius obliti sunt* certissima coniectura in scriptione academica, qua Servii Cassellani particula V. continetur, substituit, nisi quod in ipso textu verba *hi versus*, quae neque in Cassellano codice neque in editione Lioniana desunt, operarum vitio omissa sunt, utpote praecedentibus *hunc versum* absorpta. Quod ideo memoro, ne quis credat illa verba auctoritate libri Cassellani a Bergkio consulto eiecta esse. Neque relativum pronomen tantum, sed omnino syllaba *qui* compendio ꝗ significatur, quo factum est, ut in Cassellano codice comment. Serv. ad Virg. Aen. II, 294. ꝗ pro *quia* scriberetur, et librarius Medicei codicis Tac. A. XIV, 22. ꝗ*et urbis* pro vulg. *quieti urbis*, H. II, 98. *a*ꝗ*lonis*, Appul. Metam. X, 1. init. ꝗ*de*ʾ i. e. *quidem* exararet. Idem Tac. A. XI, 22. genuinam scripturam *quin* (q^{in}) depravavit in ꝗ*in* i. e. *qui in*. Denique omissa lineola transversa pronomen *quis* compendio *qs* in eodem codice A. XII, 1. init. exaratum est teste Mabillonio l. l. p. 353. tab. V. no. 5. Cfr. de siglis pronominis *qui* etiam Goeschen. Ind. siglarum p. 478. sq. In Cassellano codice comment. Serv. ad Virg. Aen. II, 313. $\overset{i}{q}$ i. e. *qui* scriptum est.

170) Apud Vell. II, 128, 2 discrepantiam veterum librorum, e quibus apographum Amerbachianum *et eque aequestri loco natum .... provexere*, editio princeps *et equestri loco natum .... provexere* habet, ita explicaverim atque composuerim, ut in codice Murbacensi *et* $\overset{eque}{ꝗ}$*equestri loco natum .... provexere* scriptum fuisse statuam. In aperto est aut ipsum librarium aut lectorem aliquem, quum literarum ductibus deceptus non *aequestri*, sed *equestri* legendum censeret, literas *eque* super versum scripsisse. Ego vero ut in archetypi lectione ꝗ*equestri* potius verba ꝗ *equestri* delituisse putem, et literarum ꝗ (i. e. *a*) et ꝗ similitudine et aequali membrorum orationis ratione, quae pronomen relativum efflagitat, adducor. Itaque quum ꝗ ex obliterata vel omissa lineola transversa

factum est, ut A. XV, 50. init. *deligendum q u o q u e fessis rebus succureret* pro genuina lectione *deligendumq u e, q u i f. r. s.* in Ma. scriberetur. Contra A. I, 33. codex habet *credebatur qui* pro vulg. *credebaturque* et c. 34. *triumphos qui* pro vulg. *triumphosque.* Idem liber A. III, 54. *sibique* exhibet pro *sibi quisque.* Simili modo locus A. I, 8. corruptus esse videtur. Ibi enim in verbis: *tum consultatum de honoribus: ex quis maxime insignes visi: ut porta triumphali duceretur funus, Gallus Asinius, ut legem latarum tituli . . . anteferrentur, L. Arruntius censuere* pronomen *qui* post *quis* inserendum esse cum Kiesslingio et Bezzenbergero (l. l. p. 17.) censeo, ita ut in hunc modum scribatur et distinguatur: *ex quis qui maxime insignes visi, ut* sqq. Quod si cui minus probatur, fortasse assentietur huic coniecturae, quae quondam mihi in mentem venerat: *ex quis maxime insignes h i visi: ut* sqq. Et sane pronomen *hi* facile sequenti syllaba *vi* absorberi potuisse concedes, si reputaveris, quae supra pag. 49. sqq. de octavo vitiorum genere disserui. Waltheri quidem sententiae, ex qua verbum *visi* pro *placuere* accipias, illud repugnat, quod de censentibus verbum *videri* pro *placere* non dicitur, nisi tertia persona singularis numeri i n f i n i t i v o iungitur. Cfr. A. XII, 16: *Sozam oppidum . . . o b t i n e r i . . . v i s u m.* A. XIV, 5: *V i s u m dehinc remigibus unum in latus i n c l i n a r e* Cic. de Off. I, 11, 36: *Cum Popilio v i d e r e t u r unam d i m i t t e r e legionem.* Ceterum non est, quod lectores moneam, ut, sive meam conjecturam, sive Bezzenbergeri probent, verbum *videri* cum duplici nominativo iungi meminerint.

Eiusdem pronominis forma *quae* sigla ꝗ aut ꝗ; testibus Benedictinis l. l. tab. 60. et p. 285. significatur [171]; unde A. XII,

---

siglae ꝗ ortum esse facile intelligas, Froelichio in Diurnis doctt. Monac. a. 1837. no. 41. p. 339. *et q u i e q u e s t r i loco* sqq. legendum censenti cum Kritzio assentiere, quamquam ii de origine corruptelae secus atque ego iudicant. De verbis aut syllabis in codice Murbacensi super versum scriptis cfr. quae supra in not. 159. diximus.

171) Sigla ꝗ reperitur etiam in Cassellano codice Servii, in cuius margine hoc summarium scholii ad Virg. Aen. II, 296. ascriptum est: *Vesta, quae et terra*, non, ut Bergkius in Servii Cassellani

68. *quae* inter *dum* et *res* a librario Medicei codicis omissum esse videtur [171a]. Genuinam scripturam, quam Walther restituit, servarunt codd. A.R. ed. Spir., aut certe ex coniectura felicissima repperit librarius eius archetypi, ex quo illi libri descripti sunt. A. XIII, 20. Medicei ceterorumque librorum familiae Romanae lectio *nos consensum auctorum secuturi, qui diversa prodiderint, sub nominibus ipsorum trademus*, pro qua ex libris Genuensis familiae recte vulgatur *n. c. a. s. quae diversa prodiderint* sqq., inde orta est, quod librarius archetypi familiae Romanae propter praecedens genus masculinum *auctorum* siglam *q̶*; perperam interpretatus fuit.

Pronominis *idem* compendium *id̶* [172] confusionis ansam dedit H. III, 4; ubi libri familiae Romanae *id quod* pro vulgato *idem quod* exhibent [173].

---

particula IV. p. 16. edidit: *Vesta, quae Terra.* Quippe ejus oculos sigla particulae *et* ⁊ fugisse videtur. Eodem pertinet compendiaria ratio, qua in illo codice verbum *quaere*, quod in lemmate scholii ad Aen. II, 294. legitur, sic fere scribitur: *q:.re.*

171a) Similiter ex Vell. II, 29, 2. pronomen relativum *quae* excidisse supra docui in not. 164.

172) Ita in specimine codicis Perizoniani, quod Trossius editioni Germaniae a. 1841. emissae subiunxit, compendium *ead̶* reperitur. Cf. etiam Goeschen. Ind. sigl. p. 507.

173) Cic. Or. 43, 151. plerique libri et scripti et editi exhibent *etsi id magister eius Isocrates* sqq. pro scriptura nonnullorum codicum *etsi idem m. e. I.* sqq., quam Orellius post Stephanum, Lambinum aliosque denuo in textum recepit. Tuscul. I, 34, 84. Ernestii coniectura *possem idem facere*, quam Wolfius, Orellius, Kuehner probarunt, vulgatae antea lectioni *p. id f.*, quam Klotzius defendere conatus est, praestare mihi quidem videtur, quippe quum *idem* aptius pronomine *id* ad sententiarum nexum conveniat. Apud Vell. II, 81, 2. ab apographo Amerbachiano, cuius lectionem *per idem tempus* vulgatae *per id tempus* recte praetulit Orellius, genuinam codicis Murb. scripturam *per id̶ tempus* servatam esse puto. Varr. de L. L. VII. §. 9. p. 120. ed. Muell. codices exhibent *contempla et conspicare id esse apparet* pro vulgatis ex coniectura Bentini verbis *c. e. c. idem esse a.* Ibidem §. 31. p. 131. vulgatam codicum scripturam *nam idem quod παροιμίαν vocant Graeci* emendavit Mueller verbum substantivum *est* post pronomen *idem* inserendo. Et facillime potuit lectio codicum oriri ex com-

Ex *sic*, quod compendium particulae *sicut* [173a]) in Cassellano codice comment. Serv. ad Virg. Aen. II, 313. repperi, Hist. I, 84. extr. orta est codicis Ma. scriptura: *hunc . . . sic a majoribus accepimus, sic posteris tradamus* pro vulgata: *hunc . . . sicut a. m. a., sic p. t.*

Jam ad compendia nominum propriorum et substantivorum et adjectivorum accedimus, ex quibus hae fere permutationes in Mediceis libris natae sunt. Quodquum praenomen Quinti litera *Q.* sive *q.* notaretur, facillime fieri potuit, ut et in aliis codicibus [174]) et

---

pendio *idē* sive *id. ē.*, quod significat *idem est.* Antiquissimas verbi *est* siglas videbis apud Benedictt. l. l. tab. 60. et p. 451. 542. 543. Siglam *ē* vel *.e.* frequentissimam repperi in Servii codice Cassellano antiquissimo, et attulerunt in specimine codicis saeculo octavo scripti Benedictini p. 284. 285. Saepius autem id compendium perperam interpretati librarii verba scriptorum corruperunt. Ita Martial. I, 20, 1. antiquissimus et idem optimus codex R. pro vulgato *quis furor est* habet *quis furorem* (*furorē*). Mart. III, 1, 1. antiquissimus liber Thuaneus pro vulg. *quidquid id est* exhibet *quidquid idem.* In Martialis epistola libro XII. praemissa vers. 10. ed. Schneidew. pro vulgata scriptura *si quid est enim* antiquissimus codex Puteaneus praebet *si quidem enim*, Vossianus C. *si quid enim.* Quippe in archetypo eius familiae, quam Schneidewinus literis C,a. significavit, ea verba ita erant exarata: *si quid ē enim.* E contrario Tac. Agr. 38. cod. Vat. 4498. exhibet *trutulens est portum tenuit* pro vulg. *Trutulensem p. t.*

173a) Quodsi Jacobus hoc reputasset, corruptam cod. Medicei lectionem non probasset in Obss. in Tac. Hist. critt. Part. I. p. 19. Similiter praepositio *aput* sive *apud* sigla *ap̄* notatur in codice Gaii rescripto et in fragm. de iure fisci (cf. Goeschen l. l. p. 421. 506.); eamque repperi in summario scholii ad Aen. I, 30. margini Cassellani codicis Servii ascripto, ubi haec leguntur: *Statua Achillis apud Sigeum.*

174) Vell. II, 9, 2. in apographo Amerb. *namq. Mucius*, in ed. pr. *namque Mucius* pro *nam Q. Mucius*; c. 11, 1. in apogr. Amerb. *perq. Metellum*, in ed. pr. *perque Metellum* pro *per Q. Metellum* scriptum est. Item Amerbachius c. 15, 3. scripsit *praetura functusq. Metellus* pro *p. functus, Q. Metellus*; c. 16, 3. *que Hortensius* pro *Q. Hortensius*; c. 18, 6. *etiamq. Pompei* pro vulg. *etiam Q. Pompeii*; c. 65, 2. *collegaq. Pedio* pro vulg. *collega Q. Pedio.* E contrario Vell. II, 77, 3. codex Murbacensis testibus Burerio et Amerbachio exhibuit *Sentium Q. Saturninum* pro *Sentiumque Saturninum.* Ita

in Mediceo particula *que* cum illo confunderetur. Ita A. III, 57. extr. codex exhibet *atque Haterius* pro vulgato *at Q. Haterius*. A. IV, 21. Beroaldus ex codice, ut videtur, edidit *Pisonemque gravius* pro vulg. *Pisonem Q. Granius.* Ibid. c. 61. librarius Mediceus scripsit *quae Haterius* pro vulg. *Q. Haterius.*

A. IV, 33. ex vulgari compendio *re rom.*, quod *re romana* significare solet, orta est codicis scriptura: *sic converso statu neque alia rerum, quam si unus imperitet* sqq., quam solus Rupertius male retinuit. At cfr. A. I, 31. *Sua in manu sitam rem Romanam.* A. II, 49. extr. *Primus rem Romanam prospere mari gessit.* A. IV, 1. *Deum ira in rem Romanam.* C. 24. init. *Disperso rumore rem Romanam ab aliis quoque nationibus lacerari.* C. 57. extr. *Dubitaverat Augustus Germanicum .... rei Romanae imponere.* A. VI, 51. *Rei Romanae arbitrium.* A. XII, 11. extr. *Rem Romanam huc satietate gloriae provectam.* H. II, 69. extr. *Virtute quam pecunia res Romana melius stetit.* H. III, 46. *Prope afflicta res Romana.* H. IV, 14. *Nunquam magis afflictam rem Romanam.* C. 25. *Primo rem Romanam enixe iuvabant.* C. 57. *Non adeo turbatam armis civilibus rem Romanam.* C. 76. *Cunctatione crescere rem Romanam.*

A. XVI, 15. scriptura codicum Ma.R. et ed. Spir. *iussa in p̃ Ostorio aperit*, pro qua recte vulgatur *iussa imperatoris Ostorio aperit*, ex compendiaria ratione vocabulum *imperator* scribendi in numis et titulis obvia originem traxit.

Perpetua in codicibus confusio vocabulorum *omina* et *omnia*, *ominum* et *omnium*, *ominibus* et *omnibus* [175]) inde originem

---

et evenit, ut Vell. II, 25, 3. praenomen *Q.* ante copulam *que* excideret. Nam Heinsius et Perizonius corruptam veterum librorum scripturam *nam ut consulem . . . exarmatumque Sertorium et multos alios . . . dimisit incolumis* ita emendarunt, ut scriberent: *nam et consulem . . . . exarmatum Q.que Sertorium* sqq. Cfr. Kritzium ad h. l., qui iusta explicatione omnem dubitationem sustulit.

175) A. XV, 8. init. B.G. aliique codices habent *spretis omnibus* pro vulg. *s. ominibus.* H. II, 1. B. et a pr. m. H.O. exhibent *loco omnium* pro vulg. *loco ominum.* H. II, 74. vulgus codicum et edd. fere omnes *fausta Vitellio omnia precantem* substituunt pro Medicei li-

mihi videtur cepisse, quod utraque vocabula iisdem compendiis scripta sint: *oĩa*, *oĩum*, *oĩbus* [176]. Mediceus codex habet A. VI, 37. *omnia* pro vulg. *omina*, A. IV, 64. pr. *adversis omnibus* pro vulg. *adversis ominibus*. In eodem codice A. V, 4. extr. legitur *festisque in Caesarem omnibus* pro scriptura edd. Bekk. Ritt. Doed. *faustisque in Caesarem ominibus*. Vulgatam ante Bekkerum lectionem *festisque in Caesarem ominibus* retinuerunt Walther, Bachius, Rupertius. Sed iam Ursinus, P. Faber (de Magg. Rom. c. 2.), Burmannus et Heinsius ad Ovid. Metam. VI, 448. ac nuper Ernestius bene viderant *festisque* ex *faustisque* corruptum esse. Suspicor enim in archetypo *fastisque* scriptum fuisse, sicut in M. A. VI, 74. extr. *infastae amicitiae* pro vulg. *infaustae a.* atque in Ma. H. II, 23. *vicus duabus iam Romanis cladibus notus infastusque* pro vulg. *vicus . . . notus infaustusque* reperitur. Quae quum ita sint, Ernestius, Broterius, Bipontini, Oberlinus, Walther recte substituerunt H. IV, 48: emendationem Acidalii *laeta Pisoni omina* pro vulgata codicum et edd. vett. scriptura *laeta Pisoni omnia*, quam Bekker, Bachius, Ritter, Rupertius, Kiesslingius rursus revocarunt. Item H. V, 17. pr. compendium *oĩa* in codd. Ma R. et edd. Put. scriptum Pichena et Victorius, quos sequentes editores ad Ernestium usque imitati sunt, recte interpretati sunt *omina* legendo, quod verbum in A. Oa. Vat. 1958. ed. Spir. diserte scriptum est. Lectionem B.G.H.O.Vat. 1863. *omnia*, quae inde a Beroaldo ad Pichenam vulgata erat, nuper editores omnes,

bri lectione *f. V.* *omina pr.*, quam auctoribus Lipsio et Freinshemio Walther et Bachius et Rupertius Tacito reddiderunt. Ibid. c. 78. in ceteris codicibus et in editionibus veteribus reperitur *vetera omnia* pro vulgata inde a Rhenano scriptura *vetera omina*, quae auctoritate Medicei libri nunc firmatur. Item apud Vell. II, 46, 3. compendium *oĩbus*, quod in cod. Murb. extitisse videtur, Amerbachius melius interpretatus est *diris cum ominibus* scribendo, quam Rhenanus *diris cum omnibus* edendo.

176) *Omnia* quidem compendio *oĩa* scribi inter omnes constat, sed quum vocabulum *nomina* compendio *noĩa* scribatur, (cfr. Benedictt. l. l. p. 540.) etiam *omina* compendio *oia* significari rationi consentaneum est. Itaque compendium *oĩa*, quod Ma. H. V, 17. et G. H. II, 74. et 78. exhibet, et *omnia* et *omina* legi potest, id quod Ernestius ad H. V, 17. ipse concessit; v. etiam Walther. ed. Tac. Vol. I. Praef. p. XX.

qui Taciti Historias post Ernestium recognoverunt, reduxerunt. Tum per verba *et dira omnia* seriem rerum, quae hic dirae dicantur, finiri recte animadvertit Walther. At multum interest inter diras res et dira omina: nec crediderim captivitatem salva sermonis elegantia in numero dirarum rerum poni, quamvis in diris ominibus duci possit. Si vero legis *et dira omina*, copula nihil habet offensionis, quippe quae cum iis, quae memoria maesta sunt quaeque ad praeterita spectant, i. e. cum captivitate cladeque, dira omina, quae futura portendunt obnuntiantque, i. e. cineres ossaque legionum pedibus Romanorum calcata, connectat. Omina autem solent dici dira; cfr. H. III, 56. init. Vell. II, 46, 3. Ovid. Metam. V, 550. — Denique ex eiusdem vocabuli compendio perverse lecto A. XV, 7. scriptura Medicei libri *tristione* orta esse videtur pro vulgata *tristi omine*.

A male intellecto compendio *per lonq̃uas provincias*, quod ex archetypo in Mediceum codicem librarius fideliter transscripsit, originem cepit Ann. XVI, 5. scriptura ceterorum codicum et edd. vett. *per longas provincias*, quam Ernestius, Oberlinus, Bekker reduxerunt, quum Pichena et sequentes editores melius scripsissent: *per longinquas provincias*. Et constans loquendi usus utique poscit adiectivum *longinquas*, respuit *longas*. Cfr. Walther. ad h. l.; adde exemplo ex Hist. I, 76. allato (*longinquae provinciae*) hos locos: Ann. XIV, 57. *longinquos motus*; A. XV, 45. *longinqui ruris secessus*; A. II, 34. *in aliquo abdito et longinquo rure*; A. XVI, 15. pr. *longinquis in agris*; Martial. III, 1, 1. *longinquis mittit ab oris*. Similiter Tac. Agr. 31. *longinquitas ac secretum* de situ Britanniae extremae dictum est. Itaque A. VI, 14. *longinqua peregrinatio* vocatur peregrinatio, quae in loca remota suscipitur, sicut Germanice dicitur: eine weite Reise.

Denique compendia scribendi, quum apud librarios in usu essent, confusionis ansam ita dederunt, ut librarii Mediceorum codicum aut in verbis plene perscriptis compendia latere aut notis singularum literarum vel syllabarum integrorum vocabulorum compendia significari opinati aliquot literis vel syllabis inserendis genuinam scripturam depravarent [177]. Sic M. exhibet Ann. I, 5

177) Huiusmodi mendorum exempla ex veteribus Velleii libris collegit

G. Navum pro *gnarum*, ut Ma. A. XI, 22. *C. N. nonius* pro *Cn. Nonius*. Compluries *contentio* pro *contio* in M. positum est; cuius mendi exempla supra p. 79. collegi, ubi de undecimo vitiorum genere dixi. Ann. II, 2. extr. librarius scripsit *maioribus* pro *moribus*, quum paulo ante verbum *maiorum* praecedat; idemque c. 33. init. *aestate* corrupit in *aegestate*, Ann. III, 76. *opibus* in *operibus* (*opibus*). Ann. XI, 16. lectio Medicei libri *Caesar augustus pecunia . . . hortatur* orta est ex archetypi scriptura: *Caesar augtū pecunia . . . hortatur*. *Augustus* enim compendio *augs* scribitur: vid. Benedictt. l. l. p. 539. Vulgatur autem: *Caesar auctum pecunia . . . hortatur*. Ann. XII, 1. init. Ma. exhibet *coniugum imperatoriis obnoxio* pro *c. imperiis o.* Ann. XV, 4. lectio eiusdem libri *inheserantque* inde videtur originem traxisse, quod per abusum aspirationis *inherantque* pro *inerantque* in archetypo scriptum fuit. Tum Ma. habet H. II, 76. init. *coronam* (*coram*) pro vulgato *coram*, c. 79. extr. *cognitione* pro *contione*, c. 81. *exercitus* (*excitus*) pro *excitus*. H. IV, 64. init. idem ille librarius *iuberent* (*iub̄ent*) pro vulgato *iubent* scripsit, quum praesertim coniunctivus *dispersisset* proxime antecedat. A. XI, 24. in archetypo videtur scriptum fuisse *capessā* i. e *capessam*, quod librarius Medicei codicis pro compendio verbi *capessenda* male habuit. A. XII, 17.

Kritz. Prolegg. p. XCIX. sq. Apud Tacitum A. XV, 56. libri familiae Genuensis exhibent *ante cuncta* pro vulg. *an cuncta*; *ante* enim compendio *añ* significatur: cfr. Benedictt. l. l. p. 539. et Walther. ed. Tac. Vol. I. Praef. p. XX. Ann. XVI, 27. G.H.O. habent: *Quid mirum est longinquis provinciis haud veniri?* pro vulgata: *Quid mirum e longinquis* sqq.; quippe *est* sigla *ē* vel *.e.* scribitur, de qua videas supra not. 173. H. III, 52. extr. G. et ed. Spir. mutarunt *pro spe* in *prospere* (*prospe*). Agr. 42. lectio cod. Vat. 3429. et edd. vett. *in nullum* (cod. Vat. *ullum*) *rei post usum* pro genuina scriptura *in nullum rei publicae usum*, quam a plerisque recentiorum editorum vulgatam codd. Vat. 4498. et Ursin. praebent, inde orta est, quod, quum voc. *reipublicae* in archetypo trito compendio *reip*. exaratum esset, illi librarii *p*. pro sigla particulae *post*, de qua cfr. supra pag. 162, habebant. Martial. I, 3, 12. codex Thuaneus exhibet *vel fuge* pro vulg. *i fuge*; cuius corruptelae ansam dedit sigla *ł* vel *ĩ*, quae particulam *vel* significat (cf. Benedictt. l. l. tab. 60. et pag. 541.), quamque ego compluries in Cassellano codice Servii repperi.

pr. scriptura codicum et edd. vett. *postremo* ex compendio *posto*, quod *postero* h. l. significat, orta esse videtur.

H. I, 8. in archetypo *doo* i. e. *dono* scriptum fuisse videtur; quod compendium, quum a librariis pro compendio vocabuli *domino* haberetur, occasionem praebuit lectioni codicum Ma.G. et editionis Spir. *recenti domino Romanae civitatis*, quam Baehius solus in textum recepit, quippe vestigia Mediceorum librorum religiose premens. Cfr. tamen quae Heinischius in scriptione scholastica Glatz. 1840. edita p. 10. sq. contra disseruit.

Sed haec hactenus. Jubet enim operis modus reliqua Mediceorum codicum vitia per suum quodque genus disposita altera disputatione recenseri atque tractari, ad quam, quum maximam partem iam sit literis mandata, lectorem delego. Interim ut, quid reliquum sit, praenoscas, singula vitiorum genera in brevem conspectum dabo. Continentur autem quarto decimo genere transmutata verba, quinto decimo transpositae literae, sexto decimo literae syllabaeque divulsae aut conflatae, septimo decimo vocabula librariis ignota notis, aut similia similibus mutata, duodevicesimo loci ex perversa verborum structura ac sententia male intellecta a librariis suopte ingenio in peius mutati, undevicesimo corruptelae, quae inde ortae sunt, quod librarii singulas literas syllabasve in archetypo emendandi gratia super versum scriptas ita in textum receperunt, ut simul literas syllabasve liturae signo notatas male retinerent. Vicesimum genus constat locis per additamenta et glossemata interpolatis, unum et vicesimum lacunis complurium vocabulorum et integrorum versuum, alterum et vicesimum verbis praepostere interpunctis, tertium et vicesimum denique verbis contra orthographiae leges scriptis.

Menda typographi.

P. 37. text. v. penult. dele punctum post *perlustranti.*
P. 137. annot. v. 13. scribe *trucidatum.*
P. 160. text. v. 21. — — *reperiretur.*


U. C. BERKELEY LIBRARIES